



Misc. 62.

1,63

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36

QVOD DEVS BENE VERTAT! 18  
SOLIDA  
ET HOC TEMPORE  
NECESSARIA DEMONSTRATIO  
QVOD  
*J V X T A*  
**CALVINI DOCTRINAM**  
**REFORMATI**  
NEC SINT NEC JVRE HABERI POSSINT  
**SOCII AVG. CONFESSIONIS**  
QVAM  
IN ALMA WITTENBERGENSI  
PRAESIDE  
**GOTTLIEB VVERNSDORFIO**  
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. PRIM. ORDINIS SVI  
SENIORE, CONSIST. ECCLESIAST. ASSESS. TEMPLI PAROCHIA-  
LIS PAST. ET CIRCULI ELECT. SAX. SVPERINT. GENER.  
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO, OMNI PIETATIS  
ET OBSEQVII CVLTU DEVENERANDO  
AD DIEM XXIX. DECEMBER. M DCC XXII.  
REPET ET  
IDONEISQUE RATIONIBVS FIRMABIT  
**JOANNES JACOBVS HACCIVS**  
RATZEBVRGENSIS.  
WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESTAE.



**DEO  
PATRIÆ  
PATRONIS  
AC  
PRÆCEPTORIBVS  
SACRVM.**

## PROLOGVS.



Ti, post Scripturas, homini Christiano  
nihil pretiosius esse debet, quam breves  
ille fidei orthodoxe Confessiones, que  
symbola nominamus; sic Augustum est  
Augustanae Confessionis nomen apud  
omnes, qui puram Evangelii doctrinam  
toto pectore amplectuntur. In hac  
enim non solum precipua Christianae  
religionis capita e Scripturis Propheticis, & Apostolicis, pro-  
ponuntur; sed etiam contrarii errores, & hominum fanatico-  
rum commenta, diserte rejiciuntur, ac improbantur. Etiam si  
vero Augustana Confessio, perinde ut ipsum DEI verbum, quo  
tota petitia fuit, πιστὸς οmnino, καὶ πάσης ἀπόδοχῆς ὁ Χριστὸς σι-  
λόγος, tamen quo tempore exhibenda erat Imperatori, pauci  
fuerunt, qui vel ejus societatem peterent, vel in periculi, quod  
inde metuendum esse videbatur, partem venire vellent. a) Si-  
gillatum it, qui, Germanos inter, de sacra Domini Cæna, non  
idem, quod Lutherus, & socii, statuebant, peculiarem, eam-  
que a BUCERO scriptam, in comitiis offerre, quam Confessioni  
nostræ subscribere maluerunt. Simulac vero deprohensum fuit,  
hanc ipsam & longe plurimis probari, & facile defendi, & lu-  
culentis insuper beneficiis, imprimisque pace publica, divinitus  
ornari, tum denum numero multi, prope cum ambitione qua-  
dam, societatem ejus affectare cœperunt. b) Illi precipue, qui  
in doctrina cum Helvetiis faciebant, Calvinianorum & Sacra-  
mentariorum nomen simpliciter deprecati, quo tutius fallerent,  
non adversarios se esse Luberanorum, sed fratres, dixerunt,  
quippe qui in paucis, iisque levis momenti, capitibus a se dis-

A 2

sen-

a) Conf. Melanchthon T. I. OO. in Praef. b) L. Osiander in Epit.  
H. E. Cent. XVI. L. III. c. 21. p. 636. 730.

sentiant, in fundamento autem & summa rei conveniant. Quo  
 quidem titulo permultas Germanie provincias, cum iisque in-  
 gentem eisdem sacrarum multitudinem, quibus antea usi fue-  
 rant Lutherano-Evangelici, ad se traxerunt. Acriter his fere  
 opposuerunt hinc Principes, hinc Theologi, maxime in Saxonia,  
 qui cum Simonis Calvinianorum artes deprehendissent, ejus  
 illis, scripta demum & promulgata Concordie formula, securi-  
 tati religionis consuluerunt. Neque tamen non, secundum Cal-  
 vini doctrinam Reformati antiquum obtinuerunt suum, qui de  
 illata sibi injuria conquesisti, etiam atque etiam, maxime cum  
 Osnabrugae superiori seculo ageretur de pace, pro fratribus ha-  
 beri, eaque de causa in pacis religioni date societatem recipi po-  
 stularunt. Quin imo Doctores eorundem nonnulli eo impuden-  
 tia sunt progressi, ut Lutheranos Vbiquitiorum nomine pu-  
 blicis scriptis traducerent, se ipsis autem pro Evangelicis, et  
 veris A. C. sociis, venditarent. Ac tum quidem nostrae reli-  
 gionis Ordines propalam ostenderunt, molestam sibi esse il-  
 lam, de consilio Confessionis Augustanae, jactantiam, vel  
 propterea, quod, si, quam crebris sermonibus literisque  
 præferrent Augustanam Confessionem, Librumque con-  
 cordiae, sincere amplectentur, idque publicis scriptis te-  
 statum facerent, Reformati nec peculiari beneficio, nec  
 singulari verborum cautione, opus futurum esset. c) Negar-  
 runt quoque t. t. Lutherani suam ea de re notionem esse,  
 an Reformati A. C. profiterentur? d) quod Brandenburgici  
 publicis scriptis asseverarant. Et fateor eos hoc paclio excellentis  
 non magis prudenter, quam æquitatis & justitiae, exemplum de-  
 disse. Ipsi enim Confessores primi, laudatæ memoriae, quedam  
 prefaturi ad Cesarem, fatentur: exhibere fere suorum Con-  
 cionatorum, & suam, Confessionem. Quo ipso ut Confes-  
 sio-

c) Pfannerus in Hist. Pac. Westph. L. V. p. m. 613. ed. tert. d) l. c.

PROLOGVS.

ſionem ad ſeſe non magis, quam ad doctores ſuos, ſpectare, inſinuant; ſic, ubi de Confessionis confortio agitur, facile appetet, Concionatorum cumprimis ſententiam ea de re audiri oportere. At hanc bodie vix requiri, nedum attendi, videoas, ubi ſunt, qui magis quid reipublice, quam quid Eccleſiae, expeditat, ſpectant, in ſocietate vero Confessionis ad Reformatos extendenda uſque adeo liberales ſunt, ac faciles, ut eam etiam, nec petentiibus, nunc oferant, que olim invitis majoribus non poterat extorqueri. Interim quod hoc iſſum cum hiſtoria Confessionis, & veritate pugnat, carui autem noſtro vel noxam infert, vel periculum minatur, credo, facturum me eſſe operæ preium, ſi, num Reformati vel ſint, vel unquam fuerint, vel etiam dici mereantur A. C. ſocii? breviter, modeſteque, diſpiciam. Videor autem mihi de hoc argumento tanto ſecurius diſputare poſſe, quod jam olim omnes Lutherani Ordines Oſnabrugæ hujuſ Controversiæ notionem ad Theologorum ſcholas reſiſtiendam eſſe censuerunt. e) In ſumma tamen rei iſforum poiuſ Ordinum ſententiam reperiſturus, quam meam diſturus, ſum.

§. I.

Premittendæ vero ſunt quadam de terminis quæſtiones, quo ab horum explicatione omnis diſceptatio lucem accipiat. CROCVS, religione Reformatus, f) Auguſtanam Confessionem ſic finit, quod ſit Confefſio partiſularis quarundam Eccleſiarum Reformatarum in Germania, præcipuos Locos Theologicos & controverſias hujuſ tem- poris explicans: Auguſtæ Vindelicorum a Theologis pri- muſcripta Ao. 1530, in comitiuſ Imperii & a quibusdam Prin- cipibus & magiſtratibus earum Eccleſiarum Carolo V. Impera- tori exhibita. Qua quidem in deſcriptione duo nobis ſu- ſpecta ſunt. Unum eſt, quod Eccleſias, quarum nomine oblata fuſt Confefſio, Reformatas, quam vel Lutheranas,

A 3

vel

e) Pfanner. l. c.

f) In Comment. de Soc. A. G. p. 30.

## 6 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

vel Evangelicas, vocare maluit. Ut ut enim non nesciam, eos, qui repurgata per Lutherum sacra sequuntur, aliquando dictos *Reformatos* fuisse; tamen hoc rariuscule factum est, & brevi in desuetudinem venit. CROCVS autem hunc titulum vix alia de causa reperit, nobisque imponit, quam quo vel *Reformatos* invitis nobis socios obtrudat, vel etiam primos Confessores, qua doctrinam, *Reformatos* potius, quam *Lutheranos*, fuisse doceat. Quorum hoc aperte falsum, illud molestum est. Alterum est, quod Augustæ *primum* a Theologis scriptam fuisse, ait. Hoc enim pacto ab omni scriptione videtur excludere Lutherum, quippe qui Augustam adductus non est, eamque soli Philippo vindicare, qui postea mutauit. Deinceps nihil eam differre a variata, insinuat, quum una eademque Confessio Augustæ *primum* scripta, deinceps VVittebergæ a Philippo repetita sit & locupletata. Magis ergo arridet MENZERI in Exegesi Conf. A.g ) ipsi etiam ALTINGIO b ) inter *Reformatos* probata, descriptio, quod nempe sit *Confessio*, vel *Symbolum publicum*, quarundam Germanie Ecclesiæ, de præcipuis religionis capitibus ex DEI verbo conscripta & approbata, & Augustæ Vindelicorum anno Christi 1530. in magnis illis Imperii comitiis Carolo V. exhibita, ad reddendam fidei rationem & adversariorum calumnias refellendas.

§. II. *Confessionis* vocabulum eo significatu sumitur, quo usus eo fuit Apostolus, ubi de Christo tradit: *quod confessus sit bonam Confessionem coram multis testimoniis* 1. Tim. VI, 12. 13. Non igitur h. l. *actum confitentis*, qui socios admittit, significat.

§. III. Augustana dicitur non a loco primæ delineationis,

g) In Prolegom. §. 8. T. I. OO. p. m. 3. b) In Proleg. ad Exeg.  
A. C.

*tionis*, qui fuit VVittenberga, nec primæ *conceptionis*, qui fuit Torgavia, sed accurata *digestions*, examinis, & solennis exhibitionis, qui fuit Augusta Vindelicorum, Urbs nobilis, commercisque frequens, quæque tum inter omnes Germaniae Urbes facile efferebat caput. Materiam quippe Confessionis primam Lutherus ipse dederat, scriptis Torgavia, jussu Electoris, XVII. articulis, quibus summam doctrinæ a se restituta complexus erat. Hos vero amplificavit, studioseque digestis, ac stylo, quo valebat, ornavit Augusta Vindelicorum, quo eum secum Saxo adduxerat, Philippus, sic tamen, ut de singulis, absentis licet, Lutheri judicium requireret, & hujus non modo verba & formulas, sed ordinem quoque potissimum retineret, quod ex Lutheri XVII. articulis, & ipsa Confessione inter se comparatis, liquet. i) Fatetur quoque hoc ALTINGIVS, l.c. & quotquot inter Reformatos sunt modestiores.

§. IV. Hanc Confessionem *Symbolum* vocare, cum MENZERO, non dubitamus, quod est tessera doctrinæ Christianæ, seu brevis & compendiaria fidei orthodoxæ Confessio, qua fidi a perfidis, socii ab hostibus, orthodoxi ab hereticis, in vera, & sub vexillo J. C. militante, Ecclesia ab se invicem distinguuntur. frontem suo ad hunc titulum contrahunt non modo Papistæ, sed etiam Calviniani, & Syncretistæ, VRSINVS, k) CROCIVS, CALIXTVS, STRIMESIVS, alii. AD MONITIO NEOSTADIENSIS opera data, nec sine argumentorum coacervatione, impugnat. l) Augustiorem nemipe illum esse putant, quam qui cadere in particularium Ecclesiarum Confessionem possit: nec ipsam

i) vid. G. Calfeinus in Hist. Comit. P. I. f. 25. 28. Chytr. in Hist. A. C. p. 44. Edit. Isleb. k) T. II. OO. f. 1514. 1519.

l) Cap. IV. p. m. 180. sq.

8 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

ipsam quoque Confessionem vel in Concilio esse conditam, vel veterum etiam Symbolorum brevitatem praestare. At dignitas Symboli nec a sola multitudine sociorum, & approbantium, nec a Synodi alicujus auctoritate, sed potius perpetuo cum Scripturis consensu, & ad praestandum discretionis officium aptitudine, dependet. Et quanquam Confessio tantam, quantam vetera Symbola, rotunditatem non praestat, praestat tamen aliquam, &, si ad Codicem sacram, & Systemata nostratum referatur, notabilem. Sufficit denique, quod ipsi Crypto-Calviniani, & Philippistæ Confessionem hanc pro norma, nota, regula & Symbolo statim post exhibitionem, habitam esse, largiantur. <sup>m)</sup>

<sup>bon</sup> §. V. Neque tamen omnium per orbem Christianarum, sed quarundam in Germania Ecclesiarum, est Symbolum, earum nempe, quarum initio nomine conscripta est, & oblatæ. Deinceps illarum, quæ septennio post, in Conventu Smalcaldico, eandem receperunt, quarum nomina perinde subscripta sunt, denique omnium earum, quæ doctrinam Confessione comprehensam, in exteris etiam provinciis & regionibus admirerunt. Ubi tamen monendum esse ducimus, distingui debere, <sup>intra</sup> veritates in Confessione ~~confessio~~, & <sup>inter</sup> ~~confessio~~ externam dispositionem, & coagmentationem, vel, ut brevius loquamur, inter Confessionis materiam, & formam externam. Qua illam, materiam nempe, & veritates ipsas, dubium non est, quin Confessio sit omnium Christianarum Ecclesiarum, cum nullum in iis contineatur dogma, cuius confessione non quilibet Christianus ab errantibus se distingvere debeat, <sup>n)</sup> (quod intuens, CALOVIVS, eandem Oecumenicum Symbolum appellare non dubitauit, o) etiamsi non requiratur, ut

<sup>m)</sup> Vid. endliche Erklärung c. Flacium A.D. 1570. lit. D. <sup>n)</sup> Vid. Reformatio Wittenbergensis apud Celeb. Cyprianum in Nützl. Urkund. p. 45. o) in Exeg. A. C. c. 1. n. 21.

veritatem divinam sub illo præcise *formali*, vel etiam illa, sub qua nunc extat, coagmentatione verborum, confiteatur. p)

§. VI. Ut ut vero ipsius CROCII, STRIMESII, aliorumque Reformatorum consensu, præcipua doctrinæ capita eadem comprehendantur, imprimis ramen ea, quæ tum temporis maxime controversa erant, inserta sunt. Vnde factum, ut in eadem non modo sententia ponatur & adstruatur *sana*, sed etiam rejiciatur contraria & falsa.

§. VII. Omnis autem ista doctrina e puro sancto que DEI verbo petita fuit. Hoc enim perfectionis inditum est Confessioni a piis Majoribus, duorum Sp. S. sequentibus, ut nihil in ea, *quoad substantiam*, doceatur, nullaque formula loquendi afferatur, quin sit in promptu Scripturæ Canonicae per se ipsam explicata, recteque intellecta, locus, in quo vel expressis verbis continetur, vel ex quo justa & necessaria deduci consecutio potest. Hujus igitur perpetui cum Scriptura consensus certissimi pii Confessores: *Offerre se, inquit, doctrinam e Scripturis sacris & puro DEI verbo petitam.* q) Quam quidem gloriationem ne quis inanem ac vacuam esse judiceret, addimus, eundem cum Scriptura consensum ab omnibus esse evictum, qui ex nostratis in eandem maximo numero, summa fide, invicta soliditate, commentari sunt, ab adversariis vero, sigillatimque Calvinio-Reformatis, toties admissum, quoties vel suæ doctrinæ cum Aug. Conf. consensum ostendere sunt conati, vel, oblata in speciem subscriptione, socii ejusdem videri voluerunt. Neutrum enim fuerant facturi, nisi de perpetuo Confessionis cum Scriptura consensu intra semetipsos convicti essent. ALTINGIVS Articulum quidem decimum excipit, de ceteris autem fatetur liberaliter ac dicit: *Confensus Aug. Confessionis cum Verbo Dei CERTVS AC EVIDENS EST IN OMNIBVS ARTICVLIS doctrinalibus.* r)

## B

## §. VIII.

p) Comparetur Dorsbeus in Disser. Sec. de A. C. p. 48. q) In p̄f. ad S. Cas Maj. Comp. Reform. Wittemb. in Celeb. Cypr. Urkund. p. 414. r) Vid. Proleg. ad Exeg. A. C.

## 10 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

§. VIII. Auctores Confessionis, post Spiritum S., omnis veritatis originem ac ducem, Saxo, hujusque Socii: administrari vero, LV THERVS, MELANCHTHON, Doctores alii, fuerunt. Cum enim Elector Saxonie, JOANNES, datis ad Theologos Wittembergenses, die Lunae post *Dominicam Reminiscere* Ao. 1530. literis, mandasset, ut mature deliberarent de certa Formula Confessionis, eamque, propter instantia comitia, perficerent ante *Dominicam Oculi*, & secum afferrent Torgaviam, Lutherus, adhibitis in consilium Collegis, XVII. consignavit articulos, qui exstant *T. V. Jen. Germ.* \*) & loco materiae primæ, in scribenda Confessione, fuerunt. Etsi enim singuli prope Ordines singulas secum Confessiones attulerant, non tamen t. t. varia scripta a diversis sunt *comportata*, & in unam quasi massam conflata, quod Reformati affirmant; s) sed omnibus, omnium suffragio, praelati sunt articuli Lutheri. Hos Philippus digessit, pluribus argumentis locupletavit, & in eam, qua nunc exstant, formam redigit. Sunt, qui hos ipflos eosdem esse putent cum iis, qui Ao. 1529. conditi erant in *Svobacensi* conventu, subscribendi ab omnibus, qui cum Saxonie, & aliis Protestantibus, coire vellent in foedus. t) Vix tamen hi quicquam pro se allegare possunt, quam quod utrobique articuli sunt XVII. Alioqui Torgenses Anno demum XX X. scriptos, & materiae loco Confessioni substratos fuisse, vel unius Saxonis confici testimonio potest. Sic enim hic ad Lutherum Augusta Vindelicorum scribebat: *Nachdem ihr, und andere unserer Gelehrten zu Wittenberg, auf unser gnädiges Ansinnen und Gebren, die Articul, so der Religion halben streitig seyn, in Verzeichniß bracht: Alß wollen wir Euch nicht bergen, daß izt allhier M. Phil. Melanchthon dieselben weiter übersetzt, und in eine Form gezogen hat, die wir Euch hierbey überfenden. &c. u)* Extant etiam ejus-

\*) f. 14. sq. & ap. Cœlest. P. I. f. 25. sq. s) uid. *Hospinian. in Hist. Sacr. T. II. f. 89. b.* & *Crocius de Soc. A. C. qu. u. c. 36. p. 499.* t) *Conf. Hist. Reform. Remiling. p. 169.* u) *Cbyer. in Hist. A. C. p. m. 57.*

SOCIOS AVG. CONF. NON ESSE.

II

eiusdem Saxonis ad Lutherum, Jonam, Pomeranum & Philippum, Theologos Wittebergenses, literæ, quibus non jam ante scriptos repetere, sed novos condere, articulos jubentur, addita ratione, weil solches von niemand baß, gründlicher, und beständiger, denn von Ihnen erwogen, und berathschlaget werden möge. w)

§. IX. Scripta jam Confessio, Lutheroque probata, Ordinum & Theologorum judicio est submissa. Erant enim t. t. Augustæ una multi graves, cordati, & eruditæ Viri. In Urbe quidem Urbanus Regius, Stephanus Karstenbauer, sive Agricola, & Joannes Frosch, quem Ranam vocarunt. Electoris Saxonici: Jonas, & Spalatinus, cum Philippo. Brandenburgici Marchionis Georgii: Brentius, Jo. Rurerius, Pastor Onolsbacensis, Martinus Moglinus, P. Kittingensis, & Adamus Weiß, sive Candidus, animo & sermone, P. Kreilshemensis. Landgraffi: Schnepfius, & Konradus Ordinger. Luneburgicorum Principum, D. Henr. Bock: Comitum Mansfeldicorum: Jo. Agricola, Islebius Norimbergensis Reipublicæ: Andr. Osiander. x) Cum his omnibus communicatam, ab iisque recognitam Confessionem fuisse, ERH. SCHNEPFIVS, qui t. t. Augustæ fuit, & ista ignorare non potuit, testatur. Confessio, inquit, recens scripta, priusquam Carolo V. Imperatori Romano offerretur, censuræ Principum, Theologorum, eorum quoque, qui nostris Principibus a Consiliis fuere, & duarum Civitatum legatis, subjiciebatur. \*) Idque Philippus ipse confirmat, dicens: Congessi simplicissimo studio capita Confessionis, que exstat, ac nihil mihi sumpt: Presentibus Principibus, & aliis gubernatoribus, & Concionatoribus disputatum est ordine de singulis sententiis. y) Imo vero recognita jam, omniumque suffragiis probata, Confessio, denuo ad Lutherum, antequam recitaretur, est missa, z)

B 2

quo

w) Vid. Hist. A. C. f. 108. & Coelestinus H. E. P. I. f. 25. 32. x) Selnecceras in Orat. de Vita Lutheri. p. 39. \*) In Conf. de Eucbar. Aa. 55. non procul ab init. y) in Praef. T. I. OO. z) Conf. Chytr. l. c. p. 62. nec non Hist. A. C. c. Ambr. Wolf. f. 109. sq.

## 12 DEMONSTRATIO, CALVINO - REFORMATOS

quo tempore ipsum antithesin illam: & improbant secus docentes, ad Articulum X. adjecisse, Jo. MARBACHIVS, Lutheri convictor & discipulus auctor est. a) Quibus ita disputatis, apparet, primas in adornanda Confessione partes Lutheri, non Melanchthonis, fuisse, fallique adeo cum Reformatos plerosque, dum, auctorem ejus laudando, Philippum solum intelligunt, tum speciatim STRIMESIVM, qui b) negat, in investiganda Confessionis sententia, Lutheri, quam Melanchthonis, auctoritatem magis valere. LVTHERVIS enim sententias, argumenta Confessionis, & articulos, primum conscripsit: Melanchthon digesit, styloque modesto, ac simplici comprehen dit, comprehensos Lutheri, Principum ac Theologorum, cum Luthero facientium, judiciis submisit, unde adeo, quicquid reclamet CROCIVS cum Reformatis, Lutherana Confessio merito nominatur. c)

§. X. Quo fine, quoque consilio, sit scripta, CROCIVS equidem in sua Confessionis descriptione disimulat, forsan, ne cogeretur fateri, eam Sacramentariis esse oppositam. Scriptam vero esse ad reddendam fidei rationem, & adversariorum calumnias refellendas, Theologi Saxonici, qui t.t. erant Crypto-Calvinistæ, cum iisque ALTINGIVS, d) agnoscunt. e) Idque hoc magis est in proposito, quod Regi Galliarum, ut LVTHERVIS refert, f) & procul dubio aliis, persuasum erat, apud nos nullam esse Ecclesiam, nullum Magistratum, nullum Conjugum, sed promiscue omnes, pecudum more, vivere pro arbitrio. Intererat quoque Nostratum, ut ostenderent, sibi nihil esse commercii vel cum Anabaptistis, qui paulo ante horribilem per Germaniam excitabant tumultum, vel etiam cum Sacramentariis, qui ob negatam

a) im Unterricht vom Heil. Abendmahl, Ao. 1566. ed. c. VI. p. 549. b) in Hexade n. II. p. 10. c) vid. omnino Celebr. Loescherus in Hisp. Mot. P. I. c. VIII. p. 170. sq. d) l. c. in Proleg. p. 4. e) In der endlichen Erklärung c. Flacium Ao. 1570. 410. Lit. E. f) In Praef. ad Art. Smalcald.

tam realem C. & S. C. in S. Coena præsentiam, quam ad id usque tempus Ecclesia magno consensu crediderat, multa invidia laborabant. f)

§. XI. Adornatam hoc modo, & subscriptentium nominibus insignitam, Confessionem, prælegit CHRIST. BAYERVS, Saxoni a cancellis, voce sonora, & grandi, postridie Joannis Baptista, ab hora fere III. ad V. a meridie, non quidem in curia, sed in Palatio Cæsaris, necne tamen non in Ordinum omnium confessu, quod contr omnis historiæ fidem, Reformati negant, sed presenibus omnibus Electoribus, Principibus, Ordinibus, Episcopis, & Civitatum legatis, quod CHYTRAEVSG) tradit, & HOSPINIANVS largitur. b)

§. XII. Recitatam Carolus ad se recepit. Germanicum, quod paelectum fuerat, exemplum traditum est Alberto Moguntino in archivo Imperii aßervandum. Quod utut etiamnum extare, ac superesse, Calvinο-Reformati negent, de hoc tamen dubitandum non esse, alio loco evicimus. i) Saltem sub anni sequentis primordium typis Wittenbergæ impressam, & magno studio correctam a G. Rhavio fuisse, nec Crocius, nec alii, sustinent diffiteri. Quæ cum & primigenio exemplo, quod Saxones, Avgvstvs, & Jo. GEORG. I. e tabulario Imperii expromi, & cum suo conferri curarunt, respondeat, ac etiam nunc extet, dubium non est, Augustanæ Confessionis verum & genuinum exemplum superesse.

§. XIII. Id vero est, quod dolemus, adornatam, & typis exscriptam, Confessionem mutationem quandam, eamque non modo circumstantiam, sed & substantiam, subiisse. Initio enim, vel studio, vel negligentia, variae quædam lectiones irreperant, quibus verba quidem quodammodo mutabantur, sententia tamen eadem manebat. Verum inde ab anno 1540.

f) Comparetur Hisp. Ref. Reutling. p. 198. Lavaterus in Hisp. Sacr. p. 20. b.  
g) in Hisp. A.C. p. 116. b) Hisp. Sacram. P. II. p. 91. i) in Vindic.  
H. A.C. §. XL.

## 14 DEMONSTRATIO CALVINO-REFORMATOS

Philipus coepit cum verbis etiam sententiam mutare, cumpri-  
mis in articulo X. quem quidem ita concepit, ut facile appa-  
reat, eum Zwinglianorum gustui attemperatum fuisse. In  
horum quippe gratiam expunxit e primo, minimeque mutato,  
exemplo a) Tò vere adesse, ne cogerentur omnes Confessionis so-  
cii veram & realem C. & S. C. praesentiam in S. C. credere, sed  
sufficeret, si intentionalem atque imaginariam, vel potius nullam,  
statuerent. b) Tò distribui, substituta exhibendi voce, quo inde  
oriretur licentia non credendi, quod C. & S. C. manu Ministri  
distribuantur, vel ore etiam indignorum sumantur. Tò exhiberi  
enim etiam de applicatione promissionum, & bonorum inde re-  
sultantium, dici posse, adeo Zwingiani non negant, ut et-  
iam hoc sensu Sacraenta signa exhibitiva nominare non du-  
bitent. Denique c) integrum Elenchum omisit, gravi LV-  
THERI consilio Zwinglianis oppositum, quo his nempe, perin-  
de ut illis, ad Confessionis societatem pateret aditus. Hæc  
est notabilis plane mutatio pro mere circumstantiali, vel ut  
STRIMESIVS loquitur, accidentalī, minime habenda. De u-  
traque cum alias ex instituto sit actum, illud nunc solumento  
do monemus, Confessionem in substantialibus mutatam a no-  
bis pro vere Augustana haberi non posse. CROCIVS equidem  
discrimen inter variatam & invariata Confessionem moleste  
ferr, eamque tum Actis Imperii, tum Principibus & Theologis,  
qui in publicis Colloquiis eam contra Papistas defenderunt, prorsus  
incognitam, & toto Protestantium cause valde inimicam esse, clamat. k)  
Nos autem unius Formulae Concordiae auctoritate sententiam  
tuemur, ac vel solam Confessionis definitionem urgemos.  
Quæcumque enim nec a Luthero delineata, nec Augustæ recognita,  
nec subscribendo firmata, nec in Ordinum Senatu prelecta, nec Im-  
peratori tradita, nedum ab eodem recepta fuit, ad calumnias vero  
adversariorum non refellendas, sed adaugendas, facit, illa nec est, nec  
dici meretur Augustana. \*) Eam igitur h. l. dicimus & intelligi-  
mus

k) in Comment. de Soc. A. C. p. 547. & 554. \*) Celeb. Löſcherus de  
motib. Relig. P. II. cap. IV.

mus A. Confessionem, cui definitio a nobis proposita, & superius explicata, ipsique adeo *Altingio* probata, convenit, h. e. invariata, seu non-mutata.

§. XIV. At hic **CROCIVS, ALTINGIVS, O.GRATIVS, HEIDEGGERVS, STRIMESIVS**, Reformati, obvertunt, non esse, quod hanc tantopere urgeamus, quum ne nostra quidem simpliciter dici possit invariata. Enimvero articulum decimum, cum Imperatori quondam exhiberetur, his verbis comprehensum fuisse: *Credimus Corpus & Sanguinem Christi sub specie panis & vini vere adesse in Cena Domini, idque Philippum, Confessionis Auctorem, studio fecisse, quod eandem Cæsar is & Pontificiorum gustui attemperare voluerit.* Inde vero a prima editione Ao. 1531. consilio **LVTHERO & Collegis**, mutatum eum fuisse, ut jam eundem in Formula Conc. hunc in modum legamus: *Credimus Corpus & Sanguinem Christi vere adesse & distribui in Cana Domini.* Addit Crocius: *Nos Ordinum Numburgi congregarorum exemplo Confessionem A. XXX. Auguste oblatam, & sequenti anno Wittenbergæ excusam, sic recipimus, ut editionem posteriorem, que dicitur recognita, nequaquam improbemus.*<sup>1)</sup>

§. XV. Verum in his Reformatos manifesto verbis londere videmus. Invariata nam Confessionem nemo unquam dixit, quæ nullam plane mutationem subierit, quoad descripta exempla, ne quidem verborum, salva manente substantia doctrinæ, salvo etiam orthodoxo sensu. Ita enim sequeretur, nos in Ecclesiis nostris, & libris Symbolicis, nullam habere Confessionem invariata, quod exemplum in Comitiis publice prælectum & Imperatori traditum, non habemus. Sufficit autem, quod exempla typis quidem impressa, primigenio tamen exacte respondentia, possidemus.

§. XVI. Petimus deinceps, ut distinguantur exempla,

Ger-

1) *Crocius de Societ A. G. p. 32. Altingius in Disp. Harm. n. 48. Heideggerus in Introd. in viam Conc. Prot. §. 14. p. 29. sq.*

Germanici enim, quod in Comitiis recitatum, exhibutumque fuit, in Articulo X. hæc sunt verba: *Vom Abendmahl des HErrn wird also gelehret, daß der wahre Leib und Blut Christi wahrhaftiglich unter der Gestalt des Brots und Weins im Abendmahl gegenwärtig sey, und da ausgetheilt und genommen wird.* Derhalben wir auch die Gegenlehr verwerffen. Latini vero: *De Cœna Domini docent, quod corpus & Sanguis Christi vere adfint & distribuantur vescientibus in Cœna Domini: & improbat secus docentes.* Quod quidem nobis certissime constat, e testimonio Serenissimorum Electorum & Principum, qui Confessionem utroque idiomate libro Concordiæ inseruerunt, collatis ante, diligenter tamenque, ut in præfatione loquuntur, per homines fide dignos, exemplis, quæ ex archivis Majorum suorum, qui Carolo V. Confessionem ipsam exhibuerunt, depromperant, cum eo, quod ipsi Imperatori traditum, nunc in archivo Imperii asservatur. Hi enim certos se esse perhibent, quod huic sua & Latina, & Germanica exempla accurate respondeant. Quis ergo ausit dicere, anno sequente, consilio LVTHERO, & Collegis, Articulum X. omittendo verba: *Sub specie panis & vini, esse mutatum?* In Germanico enim etiam nunc extant: in Latino nunquam fuerunt scripta. Quod tamen ideo cum Germanico pugnare, ne quidem ipsi Papistæ in Comitiis crediderunt, minime prætermisserunt, si vel speciem quandam probabilitatis habuisse dissensio. Philippum vero, Confessionis scriptorem, inferiendo verba: *sub specie panis & vini,* articulum illum Cæsariorum & Pontificiorum gustui attemperasse, vetus calumnia est, nostris falso impingens absurdissimum dogma *transubstantiationis* Papisticae, a quo jam tam temporis tota mente abhoruerunt, quod infra copiosius ostendemus. Sed nec Ordines, Numburgi congregati, quicquam admirerunt, quod primæ illi, minimeque mutatae Confessioni, fraudi esse posset. Pertenderunt enim, primam illam, quæ Vittenbergæ ex officina G. Rhavii Ao. 1531. prodiit editionem, *αὐτογράφω* quippe per omnia con-

conformem retinendam esse. Et licet tum temporis Palatinus & Saxo, suis a Ministris, qui clam Calvinismo favebant, seducti, mutatam Confessionem laudandam esse censuerunt; tamen hoc & invitatis, & contradicentibus, reliquis Ordinibus est factum, nec ita multo post Ao. 1580. iidem illi Principes ac Status in Praef. Formulae Conc. sancte & religiose testati sunt, sese Nurnburgi, & alias, posteriorem Philippi editionem nunquam ea in sententia accepisse, que a priore illa, minimeque mutata, ulla ex parte dissidet. Ut adeo pateat, Nostros prima illi, minimeque mutata, Confessioni perpetuo adhaesisse. m)

§. XVII. Porro de Societate dispici debet, quæ quidem h. l. non significat Collegium aliquod, cuiusmodi est societas scientiarum, Berolini, Londini, Parisii, vel etiam commerciorum in utraque India apud Belgas; sed notat communionem, vel consortium rei alicuius participande, cuiusmodi est Confessio, & doctrina confessione expressa. ALTINGIVS nihil aliud esse dicit, quam pactum mutui consensus, de formula doctrina secundum Verbum DEI. n) Malim vero dicere statum plurium de una eademque Confessione, ob consensum in doctrina, participantium, ita ut socius sit, & dici mereatur, qui consors est ejus doctrinæ, quam Saxo, & quotquot subscripterunt eidem, Augusta publico scripto confessi sunt.

§. XVIII. Hic autem ad fundamentum, modum, & effectum, societatis est attendendum. De fundamento CROCIUS ita scribit: Fundamentum non est ceremoniarum & rituum similitudo, sed consensus in fundamento doctrina Christiana a Confessoribus proposito. Qui enim se conjunxerunt in Confessione, non testati sunt, sed idem prorsus sentire de omnibus questionibus scholasticis, sed idem doctrine fundamentum tenere contra veteres, & novos hereticos, cuius Summam sunt complexi. Multo minus socios omnes ad hujus vel illius Theologi, qui auctoritate pollet, & A. Confessioni est additus, opiniones, phrasēs, & effata adstringere valuerunt. -- Omni-

m) vid. Vindic. Hist. A. C. §. XXI. sq. n) Alting. p. 117.

*um minime convenientiam ceremoniarum omnimodam iactarunt, & constat, non in omnibus Ecclesiis easdem obtinuisse ceremonias. \*)*

§. XIX. Et hic quidem facile largimur, fundamentum societatis in convenientia ceremoniarum & rituum collocandum non esse. Loquimur enim de societate confessionis, h. e. doctrinæ confitendo expressæ, cuius quis potest esse consors, ut ut easdem ceremonias non admittat. Ad veram enim unitatem Ecclesiæ satis est, consentire de doctrina Evangelii, ut ipsa Confessio o) loquitur, *dissidenzia vero Jejunii non tollit consonantiam fidei, juxta Ireneum.* At, si hoc, mirari satis non possumus, qui fiat, quod Reformati vester Ministrorum talares, exorcismum, altaria, ceroes in altaribus, imagines item, aliaque id genus in Ecclesiis Evangelicis usque adeo ferre non possunt, ut etiam plenius, sua saltē pro opinione, repurgaturi sacra, semper ab horum abrogatione initium fecerint in Hassia, Marchia Brandenb. Anhaltinatu, & alias. Enimvero, si ad societatem Confessionis fundandam nihil amplius requiritur, quam consensus in fundamento doctrinæ a Confessoribus propositæ, quare non satis habent, hunc ostendisse, dum posint, aut quare, præter consensum in doctrina, urgent quoque consensum in ceremoniis? Inter nos vero & Reformatos non super questionibus scholasticis, vel privatis doctorum opinionibus, sed dogmatibus arduis & capitalibus, & fundamentum societatis ingredientibus controvertitur, in quibus quoad consensus deficit, (deficit autem adhuc,) deficit quoque fundamentum ineundae societatis. Addo, privati quoque doctoris, utpote Lutheri, sententiam, simulac publica illius approbatio accessit, non amplius haberi debere pro privata. Quapropter si vel maxime majores nostri Lutherum in confitendo, & docendo, vel etiam elemchum adhibendo, secuti sunt, nil obstat, quo minus ejus sententia pro totius Ecclesia doctrina habenda, & firmiter retinenda sit. Etiamsi quoque pii Confessores ad hujus, vel illius privati

\*) l.c. Qu. 11. c. 4. p. 33. o) Artic. VII.

vati doctoris placita, formulas, & effata fess non obligarunt, obligarunt se tamen non solum ad veritates, sed etiam ad modos de veritatibus loquendi, easque efferendi in A. C. comprehensos, sic, ut nefas sit, formulas ab A. C. receptas rejice-re, vel mutare, nedum impugnare, iisdemque contrarias adhibere.

§. XX. Quod ceteroqui fundamentum societatis in *funda-*  
*mento doctrinae* non autem *consensu cum doctrina Confessionis*  
 ponit, omnino suspectam est. Nec enim per fundamentum  
 doctrinae illud, quod in ea est principale, vel substantiam do-  
 ctrinae, aut articulos doctrinae præcipios, & fundamentales;  
 sed *Verbum DEI*, cui tanquam fundamento, doctrina Confessio-  
 nis innitatur, intelligit. Hanc mentem *Crocivs* ipse pro-  
 dit, ubi eodem in loco Theologorum scripta a fundamento  
 excludit, iisdemque doctrinam verbo Dei consentaneam, tan-  
 quam verum fundamentum, opponit. Clarius autem id ape-  
 rit *Lvdovicvs Crocivs*, frater, quando, cum Reformatis  
 suis, *coram DEO, & Sancta Ecclesia, publice ac sincere, ore, manu,*  
*& corde protestatur, fess omnes ac singulos Augustane Confessionis*  
*articulos, NB. secundum DEI Verbum, quod illius norma &*  
*fundamentum unicum sit, intellectos, probare.* p) Consentit  
*Altingivs*, qui *normam societatis eandem esse dicit, quæ veritatis*  
*ipsius, Nimirum Scripturam Sacram*. Qui enim secundum  
 hanc cum A. C. consentiant, hos ait consentire in veritate:  
*qui contra eam consentiant, eos consentire in errore.* q) Subdole  
 vero norma *Confessionis* edende cum norma *societatis* ineunde  
 confunditur. Non enim queritur, quodnam fundamentum  
 adornande *Confessionis* habuerint, aut quamnam in *confitendo*  
*normam respectare debuerint; sed ex quo quis fundamento,*  
*& capite, Confessionem participare, aut juxta quam normam*  
*pro consorte confessionis haberi debeat.* Quod posterius uti-

p) *Vid. Assertio A. C. 6. 17.* q) *In Append. probl. ad Exeg. A. C.*  
*p. 116.*

que non est collocandum in Verbo DEI, cum hoc pacto omnes hæretici Confessionis verba eo sensu, quem crèderent, Scripturæ Sacræ, a se pro lubitu intellectæ, conformem esse, accipere, & in societatem A. C. irrepere possent.

§. XXI. Satis ergo fuerit, statuisse, fundamentum, vel rationem a priori, societatis esse *Consensum in eadem fide, ac doctrina, & utriusque confessione*, sic, ut is demum pro vero, germanoque, Confessionis Socio mereatur haberi, qui eandem candidate ac sincere, in vero suo, & nativo sensu acceptam probaverit. Ipsi certe Ordines A. C. addicti deprecatur alienum de societate A. C. judicium, socium eum esse dicunt, der dem NB. wahren Verstande der Augspurgischen Confession, in seiner Meynung gemäß sey; r) h. e. qui idem credit ac sentiat, quod in A. C. statuitur ac docetur. Unde adeo ipsi religiose confirmant: Sie wolten bey der zuerkandten, und bekandten Augspurgischen Confession NB. in ihrem reimen lautern Verstande, wie derselbige vor dieser Zeit gewesen, standhafti beharren, h. e. mansuros se esse veros, germanosque Socios hujus Confessionis. Neque vero non hoc ipsi Confessores arguunt, quando sic exordiuntur: *Credimus, confitemur, atque docemus.* Per quod enim primi Confessores societatem & primum iniere, & initiam declararunt, illud pro fundamento societatis merito habetur. Atqui per consensum in fide, doctrina, & utriusque confessione, societatem Ordines quidam & primum iniverunt, & initiam declararunt: Ergo hic consensus pro fundamento rectissime habetur. Quod quidem, usque adeo verum est, ut ALTINGIVS ipse confirmet. *Societatem, inquit, Confessionis duo efficiunt: op̄ovōia, sive consensus in doctrina fidei; & consensus illius testificatio & approbatio &c.* Eph. IV, 4. 5. 1. Cor. I, 10. Quisquis igitur eadem cum A. C. credit, confitetur, ac docet, cum eaque, in vero suo, proprioque sensu intellecta, consentit, ille est socius; qui se-  
cūs sentit, is non est.

§. XXII.

r) vid. Struv. in Hist. E. Palat. c. V. p. 192.

§. XXII. Ecquis vero est, inquires, ille Confessionis sensus, quem quidem admittere illum oportet, qui vult fieri, vel esse, Confessionis Socius? Reformati cum CROCIO, HEIDEGERO, & aliis, eum esse dicunt, qui sit Scripturæ Sacrae, ceu normæ suæ, congruus. ALTINGIVS vero urget consensum secundum Verbum DEI s) Subdole. Nec enim confundendæ sunt quæstiones de sensu ipso, & sensus veritate vel falsitate. Frustra, & cum ordinis inversione, ante disquiritur, num regulus sit, & normæ suæ conformis, quam quidem innotuit, quis sit? Nec enim de illius vel convenientia, vel non-convenientia cum Scripturis judicare possumus, ni prius fuerit investigatus, & erutus. CROCIO igitur omnes Confessionis articulos candide accepturo, secundum DEI verbum, apte ac eleganter respondet B. MENZERVIS: Arius approbat animo, ore, & manu Confessionem, quam sub thorace absconditam tenebat, cum ipse propositum fuisset in mensa Symbolum Nicenum, & ab ipso ejus probatio postularetur. Zanchius subscriptione sua, approbat Augustinam Confessionem in eo sensu, quem tenet Romana Ecclesia. Quibus omnibus ut callidior Crocius appareat, ait: se approbare Aug. Confessionem secundum DEI verbum intellectam, nempe in eo sensu, quem tenet Calviniani. Poterat eodem modo scribere, se se approbare Concilium Tridentinum secundum DEI verbum intellectum. e. gr. in Articulo X. rejicitur doctrina Zwinglianorum de S. Cena, his verbis: & improbat (nostræ Ecclesie) secus docentes. Quem articulum Crocius se approbare coram DEO & Ecclesia protestatur, nempe secundum verbum DEI intellectum. Quomodo igitur eum intelligit & interpretatur, secundum verbum DEI? id patet ex Disputatione ipsius IV. Th. 64, p. 229. Antithesin, inquit, (logitur de hac ipsa amissione in Articulo X. Augustinæ Confessionis) sic admittimus, ut crudæ controversiae initii & suspicionibus, quibus tum partes se invicem gravabant, condonantes, eam veris in hac doctrina Pontificiorum, Anabaptistarum, Ubiquitari-

## 22 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

tiorum, aliorumque similium, erroribus opponamus. *Et Th. 65.* Improbamus igitur secus docentes, quam nunc explicavimus. *Summa igitur Crocianæ protestationis coram DEO & Ecclesia est, se approbare Augustanæ Confessionis Articulum decimum, ore, manu, & corde, secundum DEI verbum ita intellectum in sensu Calviniano, ut in eo articulo improbetur ipse LVTHERICVS, cum omnibus Ubiquitariis, imo ipsa etiam Confessio, & Apologia, & Catechismus LVTHERI, dum docent, in, cum, & sub pane & vino, Corpus & sanguinem Domini ad edendum & bibendum nobis exhiberi. Ut placet tam sancta protestatio coram DEO & Ecclesia? Nimirum approbat Crocius Augustanam Confessionem in sensu Zwingliano & Calviniano, quo improbatur, & ipse Lutherus & Confessores, & ipsa Confessio, & Apologia ejus, & Catechismus Lutheranus. <sup>1)</sup>*

*§. XXIII.* Quis igitur verus & genuinus sit Confessionis sensus non melius, quam ex ipsa Confessione, cognosci potest. Ut enim optimus interpres verborum quisque suorum est; sic verba confessorum propria luce radiant, ut glossis, & tropis Calvinianis opus haut sit ad ea illustranda. Hactenus enim Confessio nil differt a scriptis aliis, quorum de sensu cum disputatur, ille pro vero, germanoque agnoscitur, quem verba ipsa nativo significatu accepta ingenerant. Evidem Confessores non aliter Augustanam Confessionem vel scriperunt, vel approbarunt, vel ediderunt, quam juxta DEI Verbum Scripturis revelatum. At verum ejus germanumque sensum, verbis tam claris, & perspicuis expressere, ut non opus sit aliunde illum emendicare, cum verba ipsa cum insinuent, facileque propinent. Interim quod Lutherus ac Philippus in scribenda Confessione operam suam Ecclesiae commodarunt, horum etiam, quæ t. t. extabant, scripta merentur conferri. Nec enim credibile est, eos, de rebus iisdem, & eodem tempore, aliter Wittenbergæ, aliter Augustæ, sensisse, vel sibimetipsis contradixisse,

1) *Vid. Ex. Conf. Croc. T. I. 100. p. 671.*

se, sed potius, quæ ipsi de articulis fidei statuebant, & docebant, in Confessionem ipsam, veluti compendium mittere, & coram Cæsare ac Imperio repetere voluisse. Is igitur juxta LOBECHIVM u) Confessionis sensus est, quem ex immoto Scripture fundamento, & ipsis Spiritus S. oraculis, acceperum ipsa Confessio perspicuis verbis explicat, quem litera parit, & conceptus monstrat, & quem majorum nostrorum monumenta orthodoxa, imprimis vero Megalandri Lutheri, tradunt, & ecclesiæ nostræ in Formula Concordie explanant. Quod ipsum cum adversus Reformatos quotidie urgeamus, nescio qui ausit ALTINGIUS post alias hanc sophisticam, ut ait, fraudem Lutheranis tribuere, quod A. Confessionem non ex mente auditorum Lutheri ac Melanchthonis, nec ex scriptis publicis, qualia sunt Apologia Confessionis, Articuli Smalcaldici, Confessio Saxonica &c. sed e suis commentis, & novis opinioribus, interpretentur. v) Frustra enim, nec procul calumnia, in nobis desiderant, quod & sponte facimus, & necessario faciemus esse putamus.

s. XXIV. Fundamentum ergo societatis aliud esse non potest, quam consensus cum doctrina, in Confessione propria, vel approbatio Confessionis, in vero suo sensu acceptæ, recteque intellectæ, ita, ut de præcipuis religionis Christianæ capitibus idem, quod primi Confessores, credamus, confiteamur, & doceamus.

¶. XXV. Neque tamen hic sufficit consensus cum Confessione qualiscunque, particularis, & inadequatus, vel etiam ab hac illave conditione suspensus, sic, ut in plerisque articulis approbemus, in uno autem & altero improbemus; sed potius categoricus, totalis, & adequatus. Negat hoc CROCVS: Non mox, inquit, desinit esse Confessionis socius, qui in uno forte articulo alium tenet verborum sensum, quam Electores & Principes offarentes. w) Imo vero desinit, si enim non requiritur totalis, & categoricus consensus, nil obstat, quo minus & Papistæ, & Anabaptistæ, & omnes pro-

pe

u) Vid. diff. I. in A. C. n. 51. p. 14. v) b. c. in Append. p. 126. w) L. 52

Qu. II. cap. 37. p. 530. c. 37. p. 530.

## 24 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

pe hæretici haberi possint pro sociis, quum vix ulli extent,  
qui non in plerisque consentiant. At, inquit, Ordines Prote-  
stantes coram Cæsare judicabant, Palatinum Septem-Virum in uno ar-  
ticulo non tenere verum sensum: non tamen negabant solum; imo  
agnoscabant. Nolebant excludere. x) Nego autem & pernego Pa-  
latinum t. t. habitum fuisse pro Socio. Et qui potuisset Princeps,  
cui, Dan. Toffani, Calvinistæ, judicio plenior reformatio & rerum  
Ecclesiasticarum constitutio fuerat reservata, qui & instituta gene-  
rali reformatione Academiæ, & Ecclesiarum Palatinatus, undi-  
que orthodoxos ministros, Doctores & Professores vocavit,  
ac dissentientes (Lutheranos scilicet) placide dimisit, fatente  
HOSPINTIANO, y) adeoque, ut breviter rem edisserit L. OSIAN-  
DER, *Calvinismum in Palatinatum invexit.* z) Aliter de Palati-  
ni religione Ordines A. C. t. t. ad Cæsarem loquebantur, in  
hanc nempe sententiam: *Den Articul des Heil. Nachtmahls*  
*können wir nicht erkennen, daß Ihre Chur-Fürstl. Gnaden mit der*  
*Augspurgischen Confession gleichförmig halte.* a) Et postea cum  
Cæsar Palatinum a Calvinismo retrahere decrevisset: Es ver-  
scheben aber die Stände der Augspurgischen Confession obberührtes  
Käyserl. Maj. Decret dahin, daß es allein in specie des Churs. Pfaltz-  
Grafen Person belange, und eine ernsthliche Vermahnung mit gebühr-  
licher Bedrohung gegen Seine Chur-Fürstl. Gnaden von dem Calvinis-  
mo abzustehen, in sich halte, dessen denn die Stände der Augspurgi-  
schen Confession mit Ew. Käyserl. Maj. wohl einig seyn, sintemahl  
sie dem Calvinismo mit nichts anhängig, auch derowegen den  
Churs. Pfaltz-Grafen selbst brüderlich, freundlich, unterthäniglich,  
und zum emsighen ermahnet, und erinnert. Qui ergo Palatinum t. t.  
Augustana Conf. in Art. de S. Coena minime addictum, sed  
Calvianismo potius infectum, crediderunt, ipsi vero a Cal-  
vinismo alieni, & A. C. sincere addicti, fuerunt, eaque de  
causa Palatinum graviter, & enixe, de abjiciendo errore, mo-  
nen-

x) l.c.p. 530. y) In Hist. Sacr. P. II. f. 264. z) in Sec. XVI. Hist. Eccl. P.  
671. a) Conf. Struv. in Hist. Eccl. Pal. c. V. §. XLIX. sq.

nendum esse censuerunt, hi eundem pro socio A. C. agnoscere non potuerunt. Aliud tamen est, aliquem pro Socio Confessionis non agnoscere: aliud, pacis publicae beneficio, indignum judicare. Socium esse Palatinum, negarunt; pace tamen excludere noluerunt. *Quid?* (sic pergit CROCIVS,) in Art. X. non omnes Principes eundem tenuerunt sensum tempore oblate Confessionis. Philippus Landgrafus disertis verbis testatur, sensum, quem alii nonnulli sequerentur, sibi non satisfacere. Nec deinceps illi placuit opinio de inexistentia & oralí manducatione, \*) Petimus autem, ut tempora distinguantur. Initio utique videbatur Landgrafius in Helytios, quorum sibi auxilia contra Cæsarem, si opus foret, adjungere cupiebat, quodammodo propendere, horumque de Coena Domini sententiam suo loco relinquere. Interim jam anno praecedenti XXIX. Cal. Aug. ad Saxonem scriperat: *Se Lutheri doctrinam pro Christiana, orthodoxa, & utili habere, in qua & ipse constanter persisteret velet.* b) Post Colloquium vero Marpurgense, & libros Lutheri attentius inspectos, auditio quoque in comitiis Philippo, etiam in doctrina de Coena, cessit veritati, & dubio procul subscriptis. Nihil hic abs me fingi, literis Melanchthonis ostendam, qui, cum auctor fuisset Luthero, Hessum monendi, ne conscientiam alicujus impii dogmatis patrocinio oneraret; non ita multo post ex eadem urbe, & ex iisdem Comitiis, ad Lutherum scribebat: *Landgrafus probat nostram (non Tetrapolitanam), vel Zwinglii,) confessionem, & subscriptis. Multum proficies, ut sperabo, si tuis literis eum confirmabis de pane Dominico.* c) Hæc scripsit postridie Jo. Baptiste Ao. 1530. eodem illo die, quo exhibenda, & recitanda fuit Confessio. d) Et D. J. JONAS, datis ad Lutherum literis, hoc ei testimoniūm perhibebat: *Landgrafus plane hoc dimicavit & urſi, ut coram statibus Imperij & Cæsare articuli prælegerentur.* e) Recepit item articulos scriptos a Lu-

D.

thea

\*) de Soc. A. C. Qu. II. c. 37. p. 530. b) Sekendorf, in Hist. Lurb. L. II. §. 46. f. 155. m. c) L. I. Ep. p. 3. d) Caleſt. Hist. Comit. f. 133. a. b.  
e) Vid. Spec. Wiederl. der Cæſel, Wechselſchr. f. 225.

## 26 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

thero Smalcaldia, in quibus docetur: *Panem & Vinum in Cœna esse verum Corpus & Sanguinem Christi, & non tantum dari, & sumi a piis, sed etiam impiis Christianis.* \*) Quæ posteriora verba Reformatis aperte contraria, Landgratio tamen probata sunt, manifesto indicio, sensum, quem nostri in Art. X. A. C. sequerentur, sibi omnino satisfacere, & opinionem de oralimandatione placere. Instat: *Ipsos etiam Doctores Lutheranos non eundem sensum, quem primi Confessores habuerint, retinere, Brunsvicenses Ubiquitatem generalem negasse: Württenbergicos affirmasse; Tubingenses & Gissenses a se invicem dissensisse: Neutros tamen idcirco societate Confessionis A. exclusos esse.* At hic Crocivsmeminiſſe debuerat, non quari, num ad fundementum Societatis A. C. requiratur consensus in omnibus, quibuscumque, & qualibuscumque, rebus, capitibus, & dogmatibus; sed an requiratur consensus cum doctrina Confessionis, minimum quoad substantiam: Hunc autem inter Württenbergicos & Brunsvicenses, Tubingenses & Gissenses defuisse, prius ostendisse debuerat, quam, eos societate Confessionis excludendos fuisse, statuere ausit. Quod cum nequeat a quoquam praestari, sequitur, ob qualecumque dissensum neutros societate Confessionis prohibendos fuisse.

§. XXVI. Totalis vero, & adequatus, quique ad fundementum societatis requiritur, Consensus vel interne solum sovetur, & pectore premitur, vel externe simul declaratur. Enimvero nonnulli vel in ipsis Comitiis Augustanis fuerunt, qui ubi veritatem Evangelicam tam perspicue ac solide proponi audiverunt, intra semetipos eandem approbare post exhibitam Confessionem coepérunt. Cum enim aliquot Principes ad in-eundas concordia ratiōnes delecti fuissent, habitu conventu, Christophorus a Stadion, Episcopus Augustanus, monuit omnes, ne quid Verbo DEI contrarium in causa religionis decerrent. *Nimis enim verum, & manifestum omnibus esse, quod Lutherane sententiae addicti nullum Christiane fidei articulum hactenus affer-*

\*) P. III. Art. 6. p. m. § 13. ed. Reines.

*affectionibus, & disputationibus suis oppugnare, vel everttere contari essent.* f) Cæsar ipse oblatum Confessionis exemplum non solum ad se recepit, sed postea quoque nostris æquior est visus. De Ferdinando fratre, postea Imperatore, hujusque filio Maximiliano II. quod priorem de nostra religione sententiam mutarint, in eamque ipsi propenderint, non attinet multa commemorare. Et adhuc hodie, vel medios Papistas inter, non desunt, qui veritatis A. Confessione comprehensis, saltem præcipuis, & capitalibus adstipulentur, reliquas vero si non recipient, saltem nec damnent. Quos quidem per internam confessionem socios esse Confessionis non magis negari potest, quam, eos olim habuisse fidem, saltem *biffricorum*, qui in Christum credebant, nec tamen audebant profiteri.

*Jo. XIII. 24.*

§. XXVII. Interim de hac in præsenti non dispuo, sed de solenni atque *externa*, qualis anno supra sesquimillesimum tricesimo Augustæ a Saxone, Hasso, Luneburgico, Anhaltino, & aliis, primum est inita. Quæ, utut nullo non tempore nos deceat, quod *corde creditur ad iustitiam, ore fit Confessio ad salutem Rom. X. 10.* tunc tamen imprimis est necessaria, quando vel ratio doctrinæ redi, vel etiam cœtus a cœtu distingui debet.

§. XXVIII. Hæc ipsa vero *externa Consensio* a) alia *simulata* est, alia *vera*. Nec enim omnes sunt Bacchi, qui thyrsum gerunt: nec omnes etiam Confessionis socii, qui tales videri volunt. Multi offerunt sese ad subscribendum Confessioni, dum *rècle intelligatur*, nec tamen aliter intelligunt, quam juxta Scripturam a se corruptam. Dicunt, recipere se Confessionem *in vero suo sensu*, qui tamen est ab iis illatus, non in ipsis Confessionis verbis innatus. Zanchius olim nostra de Confessione dicebat: *hanc formulam uti piam agnosco, ita recipio. Wiegandus ORTHIVS Marpurgi, se subscripturum dicebat, si orthodoxe*

28 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

*dōxe intelligatur*, nempe quo daret aliquid tempori. g) Sociniani, Arminiani, Pseudo-Politici, & Pietistæ amant formulas: quatenus cum Scriptura consenit. CROCIVS, HEIDEGGERVS, alii, offerunt sese ad subscribendum Confessioni, dum si bi liceat eandem interpretari juxta Scripturas. At, omnis iusmodi approbatio simulata est, non vera. Repugnat enim naturæ Confessionis, quippe quæ sincera & categorica esse debet, ad exemplum Joannis Baptistæ composita, qui rogatus: Elias vel Propheta esset? cum per τὸ quatenus affirmare utrumque potuisset, maluit simpliciter negando omnem vulgi suspicionem præscindere, quam limitando alere ac sovere. Et vero, qualis tandem hæc est approbatio, vel subscriptio? Verbo ut rem exprimam, illusoria. Non enim quaestio est de veritate aut falsitate dogmatum Aug. Confessione comprehensorum, quippe quæ supponitur a subscripturo: sed de professione, & custodia ipsius Confessionis, ea in Ecclesia, quæ ejus sociatem profitetur, & cujus se membrum subdole jactat, cum minime sit, qui per τὸ quatenus subscriptit.

§. XXIX. Talem igitur facessere jubeamus: amemus autem eam, quæ internam Confessionis approbationem cum externa declaratione conjungit. De qua quidem nunc tanto pauciora dicemus, quod facile patet, eam demum esse veram & justam, quæ fiat sponte ac libere, corde sincero, ac bona fide, quæque ad omnes Confessionis articulos sit extensa, ne nimirum vel perpetuus illius cum Scriptura S. consensus in dubium vocetur, vel omnis, quæ jactatur & offertur, subscriptio, desinat in illusionem. Nec enim quid obstaret, quo minus etiam professi Confessionis hostes ferre se possent socios. Quapropter MAXIMILIANVS II. Imperator a suspecto sibi, & aliis, Palatino Friderico III. merito postulabat: Er solle NB. nicht allein mit dem Munde, sondern auch würklichen, sich zur Augspurgischen Confession, derselben Lehre, Ceremonien, und Kir-

g) Spec. Wiederl. der. Cass. Wechselschr. f. 279. 4.

*Kirchen-Gebräuchen bekennen. b)* Idemque Prutenici a socio A. C. requirunt, scilicet, ut doctrinam purioris ac invariatae Confessionis nec non Apologiam ejusdem, corde ac ore profiteatur. i)

§. XXX. Hujus autem Confessionis vel ineunda, vel declaranda, modus non unus & idem est. Primi auctores eam contraxerunt, suæ doctrinæ summam communī consilio per suos complectendo, subscriptione propria confirmingo, confirmatam Cæsari offerendo, oblatam adversus Sophistas defendendo, defensam in Ecclesiarum suarum usum recipiendo, denique ad receptam Doctores obligando. Hoc modo societatem inierunt pauci Ordines ab initio: *Joannes Saxo, Septem-Vir, Georgius Marchio Brandenburgicus, Philippus Hassiae Landgrafus, Ernestus & Franciscus Duces Luneburgici, Wolfgangus Anhaltinus, Norimbergensis & Reutlingenensis.* Postea in hanc societatem venerunt Reges, Principes, Comites & Civitates, cum intra, tum extra Germaniam, dum suam in Confessione confessionem testaturi, eandem in Ecclesiarum Scholarumque suarum usum receperunt, ad eandem, quoties reddenda fuit doctrinæ ratio, provocarunt, suos denique ad illam obligarunt.

§. XXXI. Subdole hic agit *Crocivs*, qui dum facile assequitur, hoc pacto Reformatos pro sociis Confessionis haberi non posse, duos singit societatis gradus: alterum *obligationis*; alterum *correspondentie*. *OBLIGATIONIS*, quando societas sic initur, ut & *Confessio in Ecclesiarum Scholarumque usum recipiatur*, (verba sunt Crocii) & simul socii ad illius custodiam obligentur. *CORRESPONDENTIAE* vero, quando qui sunt socii contra obligationem, approbando Confessionem in doctrinæ fundamento, salva Ecclesiæ libertate peculiarem Confessionem, prout usus postulat, edendi, suisque commendandi. Correspondentia vocat, quia, utut non eandem numero Confessio-

b) vid. Lebmann. de pace Rel. L. III. c. 6. f. 31. i) Crocius de Soc. A. C. p. 779.

## 30 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

nem cum Augustanis & Lutheranis recipient, recipient tamen aliam quandam, utpote Helveticam, quæ Augustanae respondeat, cum eaque in fundamento consentiat. Hunc igitur societatis gradum dicit placuisse Protestantibus, Gallis, Anglis, Belgis, itemque aliquibus in Polonia & Bohemia, qui, licet nec receperint Aug. Confessionem, nec suos ad eam obligant, peculiares potius Confessiones ediderint, aut Helveticam suam fecerint; testati tamen sint palam, se approbare Aug. Confessionem, & pro ejus fundamentali veritate communi studio excubent adversus Pontificios. Reformatis autem in Germania societatem etiam *obligationis* assignare non dubitat.

§. XXXII. Ubi quidem initio notare mihi licet, mirabile societatis genus, quod CROCIVS *correspondentie* nominat. Secundum hoc enim approbatur Confessio sine receptione, sine obligatione. Approbatur in fundamento doctrinæ i. e. in sensu, judicio Reformatorum Sacris literis conformati, re vera Confessioni adverso. Approbatur denique, & tamen alia quædam, eique contraria, Confessio, cuiusmodi est Helvetica, eidem opponitur, & recipiendo præfertur. Tali vero modo qui approbant Augustanam Confessionem, & socii ejus sunt, & non sunt. *Sunt*, quoniam a CROCIVO socii dicuntur; & pro talibus haberis patiuntur; *Non sunt*, quia nec cum Confessione consentiunt, nec eandem pro Symbolo agnoscent, nec suos ad eandem obligant, imo vero aliam, eique contrariam, laudant, suisque commendant.

§. XXXIII. Somnium igitur, & purum putum pigmentum est, quam quidem CROCIVS societatem *correspondentie* nominat. Illud vero magis etiam est mirabile, quod Calvino-Reformatis in Germania eundem societatis gradum tribuit, quem alioqui Lutherano-Evangelicis intra & extra Germaniam reliquit, h. e. *obligationis*. Enim vero, cum hic societatis gradus in eo hæreat, quod Confessio, in vero suo sensu accepta, approbatur, in Ecclesiarum Scholarumque usum solenniter recipitur, homines denique ad eam obligantur, num id unquam

SOCIOS AVG. CONF. NON ESSE.

3

quam bona fide doceri poterit, Fridericum III. Palatinum, Mauritium Hassiae Landgrafum, Jo. Georgium Anhaltinum, Bremenses, aliosque in Germania Ordines, qui se Reformatos vocant, vel olim fecisse, vel adhuc observare? Parum profecto in historia versatum esse oportet, qui haec sibi patiatur persvaderi. Si enim cum Aug. Confessione in doctrina consentiunt, quare cum iis, quorum errores in Art. X. & aliis improbat Confessio, faciunt? Si Aug. Confessionem veram illam, minimeque mutatam, recipiunt, quare variatum eidem anteponunt? Si Confessionem candide ac ingenue approbant, quare contrariis Synodi Dordracenæ decretis subscribunt? Si denique se ac suos ad Aug. Confessionis custodiam obligant, quare contraria Confessioni dogmata propugnant? Quæ quidem omnia a B. MENZERO in Exegeſi Aug. Conf. Collatione A. Confessionis cum doctrina Calvinianorum hujusque defensione: In Anti-Crocio: & Examine Censuræ Crocianæ, addo etiam Disput. Anti-Steinianis, & aliis, ad confusione usque Reformatorum, ostensa sunt.

§. XXXIV. Ex hac tenus disputatis id liquet, societatem C. A. neminem posse jactare, nisi qui idem, quod primi Confessores, in omnibus ac singulis credit, confitetur, ac docet, adeoque Confessionem, non quoquo modo, vel ex parte, sed in solidum, & qua thesin, & qua antithesin, debere approbari ab eo, qui verus haberi cupit Confessionis socius.

§. XXXV. Veram autem germanamque societatem sequitur beneficium pacis publicæ in imperio, una cum potestate libere credendi, docendi, & confitendi ea, quæ continentur in Aug. Confessione. Cum enim religionis negotium diu multumque agitatum fuisset in Germania, Cæsar primo in Comitiis Norimbergicis Ao. 1532. cavit, ne quis Ordo in Imperio alteri sit ob religionem molestus, vel inferat bellum, sed potius tum Papisticis, tum Protestantibus, integrana sit, sacris suis locis libere operari, usque dum exortum de religione dissidium in libero quodam Concilio componatur. Quod cum non

suc-

## 32 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

succederet ex voto, Cæsar autem postea, Saxone & Hesso, foederis Smalcaldici Ducibus, suam in potestatem redactis, multa vel ipse faceret, vel ab aliis fieri pateretur, quæ Aug. Confessionis sociis molestias afferebant, & fraudi esse poterant, MAVRITIUS tandem Saxo, earundem pertensus, inito cum Gallis, Cattisque foedere, contractisque subito copiis, quibus in occupando Magdeburgo fuerat usus, in Cæsarem movit, eique, cum incredibili celeritate totam prope Germaniam, imprimis que aditus versus Oenipontem, cepisset, transactionem Passavensem A. 1552. extorsit, quam triennio post A. 1555. auspiciis Ferdinandi I. Imp. Augustæ Vindelicorum pax firma, stabilis & perpetua exceptit, quæ ad modum *sancionis pragmaticæ*, ac legis in Imperio fundamentalis, sine conditione omnibus Aug. Confessionis sociis est data, exclusis iis, qui nec Papistarum, nec Lutheranorum religionem sequuntur. \*)

§. XXXVI. Male hoc habuit *Zwingianos*, qui ut magnitudinem obtenti armis privilegii facile capiebant; sic nullas non ingrediebantur, tentabantque, vias, quibus in partem ejus venire possent. Ac armis quidem id sese obtenturos esse t. t. rectissime desperabant. Nec enim multorum Principum, vel Magnatum, ac ne privatorum quidem, animos occuparant. Quo tempore Formula Concordiæ condebatur, fatente Abr. Sculzeto, in tota, qua patet, Germania duæ omnino erant Ecclesiæ, in quibus contra Omnipræsentiam Carnis Christi, & realem præsentiam C. & S. C. in S. Coena libere disputabatur. E Saxoniam, quam variis artibus totam infecerant, & occuparant, præter spem ejiciebantur. In Palatinatu uter cœtus religione melior esset, Lutheranorum an Calvinianorum, diu est certatum. Multis igitur tentatis, & circumspectis rationibus eadem aptissima & maxime idonea est visa, sub Aug. Confessionis societate tantisper latere, usque dum tempus se daret, hinc doctrinam male disimulatam prodendi, hinc privilegium pacis

\*) vid. Hortleder, de B. Germ. Sleidan. L. XXIII. & Lebmannus de P. Rel. Cap. I. & XX. p. 98.

cis publicæ ad se trahendi. Prodit hoc arcanum ZACH. VR-  
SINVS, in quadam ad Bezan Epistola, cum scribit: *Nec Papistis,  
nec Lutheranis, hoc (quod scilicet ab A. C. dissentiat,) unquam  
concessit Fridericus Elect. felicis memorie, ET PROFVIT EI, NON  
CONCESSISSE, quanquam frementibus adversariis, & egerrime  
ferentibus, hanc sibi ansam exclusionis praecidi.*

§. XXXVII. Initio igitur Zwinglianorum, & Calvinistarum, nomen simpliciter detrectarunt, testati, *se nolle regnum DEI videre*, siquidem cum Sacramentariis sentirent. E contrario Philippi, quem primum ac præcipuum Confessionis auctorem nominabant, consensum jaçtarunt. Fridericus III. Palatinus ab Imperatore monitus, ut a Calvinismo recederet, negavit in rebus ad conscientiam spectantibus ulli sese mortalium subesse, provocando ad Scripturam male intellectam, & Confessionem, sed a Melanchthonem mutatam. Apud Bremenses Consul Calvinianus van Buren, excitata seditione, coëgit Senatum, liberum cuique facere, quam vellet Confessionem sequi, Augustanam vel Helveticam, quo pacto nec opinantes Calvinismo infecti sunt. k) Pareus sub initium seculi superioris edito Irenico nemini non persuadere volebat, Lutheranos & Calvinistas tantum a se invicem non distare, quin ambo ejusdem Confessionis societate gaudere possint. Postremo in quam demum cunque provinciam & urbem Calvinismum invexerant, in ea non sacra mutasse, sed e bonis meliora fecisse, coptamque a Luthero sacrorum repurgationem numeris omnibus absolvisse, videri volebant. Hinc ALTINGIVS Reformationi sacrorum in Palatinatu tres gradus assignat, *inchoationis, progressus, & perfectionis, & hunc a Principatu Friderici III. derivat.* l) Exorto igitur Bello Germanico, cum Lipsiae de reprimendo communi hoste ac Papistarum insultu, deliberaretur, obtulerunt sese ad subscribendum eidem Confessioni, quæ Anno 1530. Carolo V. esset exhibita. Quod etsi nostratisbus scrupulum eximere

E

debe-

k) Comp. S. R. D. Löfcher. P. II. H. Mot. c. VIII. p. 253. sq. & Osiander Cent. XVI. p. 649. & Fabr. H. Sacr. A. 1562. l) Vid. Hift. E. Pal. p. 158. 161. 169.

debebat, hi tamen ignem suppositum esse cineri doloso verebantur, quod comprobavit eventus. \*)

§. XXXVIII. Tandem vero quum & Catti vietricibus Svecorum armis feliciter junxissent sua, & Brandenburgicus, jam tum potens, Christinam, Sveciae Reginam, sibi conciliaisset, evenit, ut per pactionem Westphalicam, centum fere annis post Augustanam pacem, idem cum Lutheranis jus ac privilegium, de religione sua libere in Imperio exercenda consequerentur. Jvs inquam. Aliud enim est idem, cum Augustanis, jus obtinere: aliud, Augustanorum socium declarari. Prius obtinuisse Reformatos, largimur. Unanimi enim Cæsareæ Maj. omniumque Ordinum Imperii consensu placuit, ut, quicquid juris aut beneficii, cum omnes alie Constitutiones Imperii, tum pax religionis, & publica hac transactio, in eaque decisio gravissimum, ceteris Catholicis, & A. Confessioni addictis Statibus, & subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos (nempe Status Imperii,) Reformati vocantur, competere debeat. \*\*) Posterioris absolute negamus. Nec enim, qui alii parres sunt facti, qua religionis jura, etiam socii evaserunt in confessione atque doctrina. Alioqui sequeretur, Nos quoque socios esse factos Concilii Tridentini, ex quo eandem cum Papistis religionis libertatem per pacem Augustanam accepimus. Neque vero credibile est, Lutheranos vel usque adeo rerum suarum imperitos fuisse, ut per integrum seculum, quos pro sociis habere vel non habere debeant, ignorarint, vel adeo invidos, ut pacis publicæ beneficio magnam fratrum partem excludi voluerint, nisi ejus certi fuissent, Calvino- Reformatos pro sociis A. Conf. habendos non esse. Jaçtatum hoc fuit a Reformatis, fatemur. At non concessum a Statibus Lutheranis, qui etiam Osnabrugæ illorum de conforrio Augustane Confessionis jaçtantium molestam sibi esse, palam ostenderunt. \*\*\*)

§. XXXIX. Ac poterant quidem dogmatistæ Calvino-Reformati acquiescere in obtentis, cum vix causa aliqua restare videatur, ob quam fraternitatem Lutheranam debeant am-

bi-

\*) Jo. Microl. in Synt. bift. p. 487. \*\*) Pfanner. l.c. p. 613. \*\*\*) Id. ib. p. 614.

bire. Nec enim opus est, ut socii habeantur *ipius Confessio-*  
*nis*, qui socii sunt *juris*, quo confitentes *utuntur*. Nihilo ta-  
men secius etiam post pacem Westphalicam non defuerunt,  
qui Reformatorum cum A. Confessione consensum jactare, se-  
que adeo nobis fratres velut obrudere, auderent. Qua men-  
te, quoque consilio, id fiat, nostrum nunc non est dispicere.  
Obtentui sumitur necessaria virium, & consiliorum adversus  
communem hostem conjunctio. At vires & consilia, *salvo religio-*  
*nis discrimine*, si res postulet, cum sapienter poterunt conjungi, tum  
actu ipso fuerunt conjunctæ. Multi, nec forte præter meri-  
tum, idem nunc suspicantur de Reformatis, quod hi olim, cum  
viderent a nobis sinceram A. Confessionis receptionem ad sta-  
biliendam concordiam perpetuo urgeri, suspicabantur de No-  
stris : *Huc, nempe, spectant istorum omnia, ut relictis nostris ad*  
*ipso concedamus. m)* Nec enim *quid habent antiquius, quam ut A.*  
*C. Protestantes in gremium veritatis pure Evangelicae se recipiant,*  
*ut haud ita pridem Helvetici doctores ad Wackium in Anglia*  
*scriberebant. n)* Saltem id non agitur a dogmatistis Calvi-  
no - Reformatis, ut serio nobiscum consentiant in ea, quam  
profitemur, doctrina, sed potius ut vel jure videantur habere,  
quas nobis variis artibus eripuerunt, Ecclesiæ & Scholas, vel  
etiam impune ipsis liceat reliquas, si se occasio dederit, ad se  
trahere, nobis vero, quæ demum cunque rerum in provinciis  
conversio emergat, nunquam sit integrum, subtractas nobis  
ecclesiæ & scholas vel repeteret, vel vindicare.

§. XL. Qua omnia cum in apertum Ecclesiæ ac religio-  
nis, detrimentum cedant, vitio nobis verti non potest, si vete-  
rem repetamus sententiam, & Calvinio - Reformatos nec esse,  
nec unquam fuisse, nec dici posse, socios A. C. idoneis ratio-  
nibus demonstremus.

§. XLI. Illud autem, relictis omnibus, monendum mihi  
E 2 esse

m) *Vid. Tigurinorum ad Bezam epistola ao. 1587. n) Vid. Bibl. Brem.*  
*Clasf. III. Easc. 3, p. 404.*

esse intelligo, non queri, vel disputari de stylo curiae, aut, nomine Reformati ex hujus prescripto, vel *Protestantium*, vel etiam *Evangelicorum*, titulo cohonestentur? Neque etiam de eorum, hodie saltem, iidem socii sint pacis religioni datae, idemque adeo privilegium, qua liberum hujus exercitium, in Germania, quod A. C. addicti habent, obtineant; Verum, an socii sint Confessionis ipsius, & doctrinæ illa in Confessione propositæ. Non etiam, an mutatae, &c., ut ipsi aliquando loquuntur, recognitæ ac locupletatae, sed an primæ illius, minime mutatae, sint socii, idemque, non qualescunque vel ex parte, sed genuini, atque ex toto: Nec denique, an socii solummodo vel videri velint, vel etiam aliquibus habeantur; verum hoc quæritur: *An Augustanae Confessionis, & ejus quidem invariatae, veri, germanique socii, & sint, & mereantur dici, & jure habentur illi, qui hodie vocari amant Reformati?*

§. XLII. Neque vero hic crediderim opus esse, ut data demum opera, quinam sint Reformati, exponam. Hi enim nunc *Reformatorum* nomine veniunt, qui, Zwinglio & Calvinus aucto-ribus, religionem sese ab omni omnino errore, non solum Pa-pistico, sed etiam Lutherano, repurgatam habere, persuasi sunt. Ut enim a Zwinglio & Calvinio denominari nolint; utriusque tamen doctrinam, quod est in propatulo, sequuntur, etiam recentiores, qui nihilo, quam veteres, melius sentiunt, ut mollius loquantur, & hoc uno a majoribus differunt, quod veteris sententia austерitatem nonnulla verborum lenitate obte-gere didicerunt. Interim qui hodie Reformati audiunt, iidem sunt, qui quondam dicebantur *Zwingiani & Calvinistæ*.

§. XLIII. Quibus sic disputatis facere non possumus, quin rem pridem judicatam adesse, & questionem a tota, qua me- liorum est partium, Ecclesia negando decisam fuisse, assevere-mus. In Epitome enim Formulae Concordie, o) quam inter no-stratis Ecclesiæ Symbola numeramus, cui juratam fidem dedi-mus,

o) Art. VII. p. m. 843. ed. Reinec.

mus, & cujus a sententia nemini docentium recedere fas est, majores nostri aperte ac ingenue dicunt: ZWINGLIANI DOCTORES NON IN EORVM THEOLOGORVM NUMERO, QVI AVG. CONFESIONEM AGNOSCUNT AC PROFITENTVR, HABENDI SVNT. Conqueruntur tamen, quod nunc in Lutheranorum coetum callide sese ingerant, erroremque suum, sub praetextu piae illius Confessionis, quam latissime spargere conentur. Eadem haec non modo repetunt, sed & latius deducunt, in solidâ Declaratione, sub initium hujus articuli. Absit igitur, rem pridem judicatam impugnem, aut Majores nostros, veritatis, & sanctimoniac studiosissimos, vel nimii rigoris, vel præcipitati judicii, accusem, quippe qui suæ sententiæ graves habuerunt ac vehementes causas.

§. XLIV. Primo enim I.) negari nequit, *Calvino-Reformatos Aug. Confessionem nec condidisse, nec subscriptisse, nec obru-*  
*lisse.* Non deerant t. t. Zwingliani Doctores, quique de Coena Domini non idem, quod Saxo & Socii, statuebant, ne quidem in solo Germanico, utpote Argentorati, Ulme, Constantie, Augustae, Memmingae, Lindavie, alias. Harum enim civitatum Ecclesiastæ jam A. Seculi XXVIII. disputationi Bernensi de Coena Domini interfuerant. p) Nemo tamen horum, quod ipsa Confessionis inspectio docet, eidem subscriptis, nemo, quod historia Comitorum ostendit, ad subscribendum admis-  
 sus fuit. Testem cito D. J. JONAM in literis ad Lutherum, qui  
 ait: *Confessioni rantium subscripterunt Norimberga, & Reutlin-*  
*gen. Argentorense ambierunt aliquoties, ut, exemplo articulo Sa-*  
*cramenti, susciperentur. SED PRINCIPES NOLVERVNT. q)* Ergo & Landgrafius, quem tamen Crocius, Altingius, Heideggerus, alli t. t. Reformatum fuisse clamant. At enim, Hessus, ante, quam exhiberetur Confessio, ad Philippum & Brentium, scripsérat: *Daß ihr mich auch bittet, daß ich mich vom wahren*

E 3

Ver-

p) *Lavaterus in Hist. Sacr. p. 14.* q) *Vid. Gæleß. in Hist. Comit. P. I.*  
*f. 205. b.*

## 38 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

*Verstand des Sacraments nicht wolle lassen abwenden, dürfftet ihr NB. nicht zweifeln, NB. ich will, ob Gott will, Gottes Zusage trauen, und seinem Worte Glauben geben &c.* r) Recte igitur, qui t. t. Principi erat a concionibus, ERH. SCHNEPPIVS, scribebat: *Quod NEMO TVNC OMNIVM FORVM, qui Aug. Confessioni adjuncti, & in deliberantium congressum admisisti erant, CVM ZWINGLIANIS SENSERIT.* s) Obtulit potius cum aliis Imperatori Confessionem, & anno sequenti Moguntini, & Palatini, legatis, cum Saxone, in conventu Smalcaldico, respondit, *quod in ea doctrina, quam Augustae professus sit, permanere velit.* t) Nunquam vero illum sententiam mutasse, & ad ZWINGLIANOS transiisse, indicio esse potest Confessio, quam paulo ante obitum edidit: *Wir gläubten, nempe, und bekennen, daß in dem Abendmahl des Herrn warlich der Herr Christus gegenwärtig sey, auch seinen Leib und Blut mit Brodt und Wein uns darreiche, und gebe zu genießen, nicht allein der Seelen, sondern auch dem Leibe, massen, wie das die Concordia einhält, --- und Lutherus selbst darvon geredt etc.* u) Nemo igitur inter omnes, qui vel subscripterunt, vel obtulerunt, Zwinglianorum errori addictus fuit.

§. XLV. Accedit II.) quod illi, qui cum Zwinglio faciebant, peculiarem in comitiis confessionem obtulerunt Imperatori. Hanc enim rationem potissimum urgent majores nostri, cum in formula Concordiae ostendere volunt, Zwinglianos pro Sociis A. C. habendos non esse: MANIFESTVM est, inquit, SACRAMENTARIOS JAM OLIM, cum Confessio Augustana A. Domini 1530. pri-  
mum conscriberetur, & Imperatori exhiberetur, PENITVS AB EA ALIE-  
NOS FVISSE, atque talem eo tempore secessionem fecisse, ut peculiarem  
ea de re Confessionem offerrent. Quod ipsum in solida Declara-  
tione repetunt, ac inculcant. x) Rem ipsam SLEIDANVS  
bre-

r) Vid. Hifb. A. C. c. Wolf. f. 117. s) In Conf. de Euchar. p. A. 5. 6.  
ed. Efuriib. t) Laret. in Hifb. Sacr. p. 21. u) Vid. Spec. Wiederl.  
der Cästel. Wechselschr. f. 479. x) Vid. p. 1010. 1014.

breviter his verbis commemorat: *Argentinenses, Conflantienenses, Memmingi, Lindavii, doctrina sue Confessionem scriptam & ipsi tradunt Cesar. NB. De Cœna Domini non idem bi, quod Saxones ac socii, sentiebant. y) LAVATERVS autem, utui ipse Helvetius, ita de re exponit: Quatuor Urbes, Argentoratum, Conflantia, Memminga, Lindavium, quæ de Cœna Domini sœcūs sentiebant, quam Elector Saxo atque socii, peculiarem fidei sue Confessionem Imperatori, per Casp. Hedionem Ecclesiae Argentinensis doctorem, exhibuerunt.*  
*z) ALTINGIVS per necessitatēm excusat. Quatuor, inquit, Civitates adeo non rejecerunt A. Confessionem, ut ad subscriptionem ejus admitti sepe, multumque, postularerint, exempto solum articulo X. de Cœna Domini. Quid cum tunc impetrare per Philippum, & Brentium, non possent, frustra etiam intercedente Landgratio; peculiarem Confessionem offerre coacti sunt. a) Ita vero coram Cæfare ac Imperio testatum fecerunt, se A. C. socios esse nolle. Nec enim opus fuisset peculiari Concessione, si nostræ bona fide, ac in solidum, subscribere voluissent. Postularunt ad subscribendum admitti, at, quod reapse admisi non sunt, non per Brentium & Philippum, sed ipsos Argentinenses, stetit, qui suum in doctrina de Cœna Domini a nostratis dissentium tunc aperire, quam totam Confessionem nostram subscribendo probare maluerunt: Cum enim oralem mandationem Carnis Christi palam repudiarent nostri, (Reformatorum verba sunt,) b) necessitas coegerit ipsos statim in principio testatum hoc apud omnes relinquere, si subscriptentes A. Confessioni simulassent de hoc capite cum illius auctoribus consensum. c) PHILIP-  
 PVS autem hoc intuens invicem ad Bucerum scribebat: Mihi non videtur utile reipublicæ, aut tutum meæ conscientiæ, nostros Principes onerare invidia vestri dogmatis quod neque mihi, neque aliis persuadere possum. \*) Concludo: Q. suum ab A. C.*

y) *Vid. Comment. de statu relig. L. VII, p. m. 187.* z) *Vid. Hist. sacrament. ad A. 1530, p. 19. a) Vid. App. probl. ad Exeg. A. G. p. 127. b) in Admon. Neost. e. V. p. m. 243. c) H. Aling. in Ex. art. X. p. 74. \*) *Cœlest. p. II. f. 297. b.**

*A. C. dissensum, saltē in Articulo X. coram omnibus, peculiarem exhibendo Confessionem, testari voluerunt, hi pro sociis A. C. haberi non possunt. Pugnat enim, Confessionis socium esse, & tamen a confitentibus dissentire, quod societas in consensu fundatur. Atqui Zwinglio-Reformati. E.*

§. XLVI. Negamus Quæstionem III.) quod Aug. Confessio Zwinglianis, sēu Calvino-Reformati, saltē in Articulo X. dīcē est opposita. Nec enim verba: & improbant secus docentes, quæ sigillatim adjecisse Lutherum supra MarbachI fide docuimus, alios, quam Zwingianos, stringunt, qui, SLEIDANO teste, de Coena Domini secus, quam Saxo, & Socii, statuebant. Evidēt Hōspinianus, Caffellenses, Heideggerus, alii, his verbis Anabaptistas solum, & Schwencfeldistas, notari opinantur. At enim, Reformati Reformatum oppono, ALTINGIVM scilicet, qui scribit: *Antithesi hujus articuli improbantur, qui de Cœna Domini secus, quam Augustana Confessio, docent.* NOTANTVR AVTEM DOCTORES ECCLESiarVM HELVETICARVM, ET SVPERIORIS GERMANIAE, INPRIMIS IV. CIVITATVM, Argentinæ, Constantiæ, Memminge, & Lindaviae, quæ peculiarem Confessionem Augusto Cesari exhibuerunt per Capitonem & Bucerum.  
d) Zwinglii nempe de S. Coena errores non Helveticas modo, sed & quasdam vicinas Ecclesias, in superiore nimirum Germania, corripiuerant. Male id habuit Lutherum, qui realem C. & S. C. in S. Coena præsentiam ab Ecclesia universa per tot seculorum decursum constantissime creditam, studioseque assertam, nunc demum, alienissimo tempore, ab iis, qui fratres esse vellent, negari, indignissime ferebat. Quapropter utut Marpurgi in Colloquio A. XXIX. de aliis rebus inter ipsum & Zwinglium ita convenerat, ut tantum de Cœna Domini disiderent, tamen ob hunc unum, qui in Ecclesia hærebat scrupulm pro fratribus & membris Ecclesiae Christi habere dubitarat.  
e) Sed

d) Vid. Exeg. A. C. p. 74. e) Vid. Ep. Lutberi ad Jac. Propositum in Hist. Sacr. f. 106. nec non Philippi ad Reutling. Eccl. Ministros in H. Ref. Reutl. p. 151.

Sed & Principes, qui repurgata per Lutherum sacra sequebantur, Augustanae vero Confessioni postea subscripsérunt, illis ab erroribus erant alieniores, nec quicquam habere volebant commercii, cum iis, qui eosdem foverent. Quapropter cum Smalcaldia eodem anno Principes cōveniēsint de legatis ad Cæfarem, ob interpositam a se Spiræ Nemetum protestationem, mittendis deliberaturi, hisque Civitates quādam superioris Germaniæ, Argentina, Ulma, Constantia, Ysna, Heilbronna, Memminga, Lindavia, & alia, sese jungere vellent, Principes autem subodorarentur, esse inter eos, qui Articulis Svobacensis bus, quibus summam doctrinae suæ complexi erant, subscribere nollent, Principes negarunt, se ante illas recepturos esse in foedus, quam sibi de religione cavissent: *Es sey aus viel taffern Ursachen, und Bewegungen, ihr Gemüt oder Meinung nit, sich dieses falls mit jemand in sollich, oder dergleichen Handlung einzulassen, der oder die, mit Iren Churf. und Fürßl. Gnaden angeregte, gefellte Articul, nit gleichhellig, und also einhellenigen Glaubens, und Sacraments seyn, &c.* Diem itaque recipiendis Articulis sequentis anni dixerunt Januarii sextum, addito: *Welche Stätt aber die angezeigten Articul unsers heiligen Glaubens mit vorgemelten Chur- und Fürßl. die vorberürten Articul zu bekennen, und darbey vermittelst göttlicher Hülffe zu bestehen, nit geneigt, die bedörfen zu angefezten Tag gen Nürnberg nicht schicken.* e) Hoc denuntiatum est Civitatibus de Zwinglianismo suspectis a Saxo-ne, repetitum autem Augustæ in comitiis, ubi Argentoratenses in societatem Confessionis, excepto Articulo X. admitti posstularent, sed frustra, ut supra e Caleſino, Altingioque, retulimus. Sunt enim in illis ipsis Comitiis Augustanis NOMINATIM DAMNATI, ut TIGVRINI fatentur. f) *Quibuscumque igitur A. C. saltē in Art. X. directe est opposita, bi pro sociis A. C. haberī nec possunt, nec*

F

de-

e) Vid. Hist. Reform. Reutling. p. 172. 173. f) Vid. eorum ad Bezae literæ Ao. 1557, quo extant in Bibl. Saxo-Goth.

42 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS  
debent. Nec enim moris est, sociis contradicere, & contradicen-  
do invidiam conflare. Atqui Calvino-Reformati. E.

§. XLVII. Negamus quæstionem, IV) quia Calvino-Re-  
formati exhibtam, editamque, Confessionem propalam improbarunt.  
Minime hoc dissimulat LAVATERVS, qui, cum paulo ante, quan-  
ta in dignitate Confessio haberetur a multis, exposuit, de-  
suis hoc addit: *Helvetii, tametsi magnum ei honorem in plerisque*  
*deferrent, tamen IN QVIBVSDAM EAM APPROBARE NVNQVAM*  
*VOLVERVNT. g)* Nempe, ut mox explicat, in capite de Cœ-  
na Domini, de Missa, de Confessione, & Absolutione privata.  
Hæc enim a nonnullis ita accepta sunt, ac si Principes voluis-  
sent captare Imperatoris gratiam, & quam proxime fieri  
potuerit, ad ejus sententiam accedere. Repetit hoc ADMONI-  
TIO NEOSTADIENSIS, liber Symbolicæ propemodum au-  
toritatis inter Reformatos, cum ait: *Fatendum est ingenu,*  
*LANGVIDIVS, QVAM OPORTET, illo tempore quedam dicta fuisse, studio*  
*fæse accommodandi opinionibus, & locutionibus Papistis. b)* Hinc  
BEZA: *Fateor, inquit, Germanicam, quam Augustanam vocant,*  
*Confessionem NOBIS IN QVIBVSDAM NON SATISFACERE, ac præfer-  
tim in Capite de Cœna Domini. i)* Quid CALVINVS de illa sense-  
rit, cum procul indignatione repetere vix possim, lubens præ-  
tereo. TIGVRINI in suis ad Synodus Nemausensem literis Ao.  
1572. mense Aprili datis, TVRPEM A. Confessioni ERROREM imputa-  
bant. RVDOLPHVS GVALTERVS Ao. 1579. d. 25. Jan. ad BE-  
ZAM scribebat: *NVLAM SE SCIRE EVANGELICAE DOCTRINAE*  
*REMORAM NOCENTIOREM A. CONFESIONE, quod*  
*hanc fere quidam omnibus obtrudere soleant, qui refor-  
matiōnem Ecclesiæ meditentur. KLEBITIVS, olim novum*  
*Evangelium, & alio loco, ERRATICAM, nominabat. k)*  
Sigillatim in Articulo X. de Cœna Domini multa desidera-  
runt. ZANCHIVS: *Articulum hunc, inquit, de præsentia C. C.*  
in

g) In Hjß. Sacr. p. 18. b. b) p. 170, sq. i) Vol. III. f. 189. k)  
c. Hesbus. p. E. 3.

in S. Cena, quatenus a Papistis, (ut refert Apologia,) confirmatus fuit, NULLO MODO, PROBARE POSSVM. 1) ADMONITIO NEOSTADIENSIS concise, jejune, & ambigue, scriptum esse clamat. m) ALTINGIVS eundem simpliciter arguit erroris: *Decimus*, inquit, *Ariiculus*, prout Augusta scriptus fuit, NON PER OMNIA CONVENIT CVM VERITATE SCRIPTVRAE. Cum primis vetus isthac calumnia saepe recoquitur, eundem Papistarum gustui, & ad incrustandum Transubstantiationis dogma, esse attemperatum. Hoc quippe illi, post PEZELIVM, primum forte calumniae hujus auctorem, imputant Neostadienses, *Wolfius*, *Hospinianus*, *Pareus*, *Massonius*, *Neostadiensis*, *Gratius*, *Heidegerus* quoque, & *Sirimesius*, aliqui, ne scilicet nullam omnino causam negatae subscriptionis habere videantur. Sed enim qui Nostri foedum Transubstantiationis dogma in verbis Confessionis probaverint, cum id dudum ante exhibitam Confessionem ex instituto rejecerint? Dices cum CROCIO: *An non phrasis illa: Sub specie Panis & Vini Papistis familiaris est?* Nonne ea Transubstantiationem significat? Respondeo: *Divus AVGVSTINVS usus est illa, diu, antequam vel cogitatum fuit de Transubstantiatione in regno Papistico,* n) Adhac, quo sensu Phrasis accipi debeat, Apologia declarat, nominando *res*, *qua* videntur. *Quin & BVLINGERVS, HOSPINIANVS ipse, \*) aliique Reformati, eadem usi sunt.* Cur ergo in Confessione improban? Quid multa? *Zwinglius, Oecolampadius, Bucerus, & quotquot Marpurgi sunt collocuti, super hac formula consenserunt: Credimus & profitemur omnes de Cena Domini nostri J. C. quod usus illius SVB VTRAQUE SPECIE secundum Christi institutionem observandus sit?* o) Num hi etiam consenserunt super phrasim Papistica? Reliqua, quæ hic obverti solent, solidissima dexteritate discussit

l) In Miscell. T. VII. OO. f. 49. m) p. m. 165. n) Conf. Hunn. in Dedic. L. de Sacr. p. 42. & Def. Pup. Sax. c. XIX. p. 371. \*) in Dedic. Hist. Sacr. med. o) Lutber. T. IV. Jen. Lat. f. 470.

nostri Ecclesiae Ornamentum, LOESCHERVS. p) Usque adeo certum est, Calvino-Reformatis A. C. in eaque cumpribus Articulum X. improbari. *Quicunque vero C. Aug. propalam criminantur, ac improbant, pro veris ejus, ingenuisque, sociis haberi non possunt.* Atqui Calvino-Reformati &c. E.

§.XLVIII. Negamus V.) quia Calvino-Reformati verbis Confessionis, non sententius, subscriptiunt, eandemque non in vero & proprio, sed a se illato, sensu accipiunt. Supra diximus, & ex ipsis Reformatorum scriptis ostendimus, societatis A. C. fundamentum nullum aliud esse, quam verum ingenuumque cum doctrina in Confessione proposita consensum, sic, ut eadem illa candida ac bona fide, credamus, doceamus, & confiteamur, quæ primi Confessores crediderunt, docuerunt, atque confessi sunt. Ex quo sequitur, ad verum germanumque Socium requiri, ut Confessionem non modo quoad verba, sed etiam quoad sensum a Confessoribus intentum, accipiat. Negat hoc ZANCHIVS, qui scribit: *Hanc doctrinæ Formulam, h. e. eam de religione doctrinam, quæ in A. Confessione, ejusque Apologia traditur, ut piam agnosco h. e. quemadmodum agnosco & judico esse piam: ita etiam recipio, h. e. ad eundem modum & sensum illam recipio, secus autem minime. Agnosco autem & judico esse piam, si ita intelligatur, quemadmodum mox explicabo. In eum igitur sensum, & non alium doctrinam illam recipio, & admitto.* Et paulo ante: *Etsi subscriptebam A. Confessioni, Apologiae, & Articulis, non scriberbam tamen juxta aliorum, sed juxta meam, quam etiam veram & piam esse censeo, interpretationem, eademque plane est cum illa, qua etiam alias subscripti, cum hac exceptione: modo orthodoxe intelligatur. q)* Hæc ZANCHIVS, quo cum Crocius, Heideggerus, Strimesius, & alii Reformati conspirant. Ecquis vero eum pro vero, germanoque, Confessionis So-

p) His. Mot. Rel. P. I. cap. VII. n. 8. p. 170. sq. q) Vid. T. VII. QO. in Mise. p. 47.

Socio habeat, qui eām in vero, suo, proprioque, sensu accipere detrectat? Nec enim video, quid obster, quo minus hoc pacto Papista, vel etiam Socinianus, & Anabaptista societatem A.C. jactare possit. Apage Confessionis socios, qui a Confessione dissentiant, eaque suam ad libidinem abutuntur! Argumentamur: *Q. A.C. non in vero, suo, & proprio, sed alieno, & ab se illato, sensu accipiunt, verbis que Confessionis, non sententiis, subscripti, hi pro veris, ingenuisque, illius sociis haberi non possunt.* Atqui Zwinglio - Reformati. E.

§. XLIX. Negamus Quaestione, VI.) quia Calvino - Reformati ab A. Confessione, & doctrina in eadem proposta, manifesto dissentiant. Supra quippe fundamentum Societatis, non repugnantibus Reformatis, in consensu cum doctrina Confessionis posuimus. Atqui Calvino - Reformati ab eadem manifesto dissentiant. Nolo hic prolixè allegare illos, qui per omnes Confessionis Articulos eundo illud vel ex instituto, vel ubi in Confessionem sunt commentati, solidissime demonstrarunt, \*) de quibus vel unum B. MENTZERVM, in divina prorsus Exegeſi A.C. ejusdemque Collatione cum doctrina Calvinianorum, nec non Anti - Crocio, & Examine Censuræ Crocianæ, quod instar omnium esse poterit, nominasse sufficerit. Habemus enim hic denuo ex ipsis Reformatis confidentem reum, ALTINGI-VM, qui Harmoniam suarum Confessionum cum Augustana offendens, cum eam in ceteris utcunq; sibi demonstrasse videretur, ubi ad decimum pervenit, jaſtare non audet. Largitur igitur diffenſum, eumque manifestum, & scribit: IN HOC ARTICVL O MANIFESTVS EST CONFESSI ONVM DISSENSVS, quia nec Catechesis Palatina, nec Confessio Helvetica Confubstantiationem (quo nomine veritatem praesentia C. & S. C. in S. C. traducit,) approbat, quin imo APERTIS VERBIS IMPROBAT. r) Eſti vero adjiciat, nec super toto, nec super fundamentali, Articulo dissentiri, utriusque tamen contrarium alio loco, multis, iisque invictis, rationibus est ostendit. F 3 sum.

\*) Vid. Nic. Hunn. de fund. Diff. & Galvini in Dedic. Critici S. aliquo.

r) Vid. diff. Harmon. n. XLIX.

sum. Negari quoque non potest, manifestum esse dissensum inter Nos & Calvinus-Reformatos in Art. XII. quo damnarunt Anabaptistas, qui negant, *semel justificatos posse amittere Spiritum S.* Patet enim, cum Anabaptistis hoc ipsum negare omnes Reformatos, qui absolutum decretum statuunt. Quod etiam vix, ac ne vix quidem, diffiteri audet ALTINGIVS. Eundem hunc dissensum graviter imprimis cordateque exponunt Ordines Protestantes in suis ad Henricum Navarrum literis: *Quod, inquietunt, R. V. S. initio proponit, inter nostras, & Gallicas, hisque sociatas, Ecclesias in precipuis doctrinæ capitibus consensum esse; & non nisi de sacra Domini Cæna, adeoque tantum de modo presentia C. & S. C. in S. C. inter partes controverti; ID NOS FACILIUS DICI,* ET RELIGIOSIVS OPTARI, QVAM RE IPSA DEMONSTRARI POSSE EXISTIMAMVS. Idque deinceps pluribus exemplis declarant. Hinc Z. VRSINVS ad Bezam scribebat: *NON OMNES SIBI PERSVADERI SINENT CONSENSVM A. C. & HELVETICAE, quantumvis commode offendatur. MVLTO MINVS AVGUSTANAE SIMVL & HELVETICAE SUBSCRIBEBENT.* \*) Quid? quod Crocius conceptis verbis scribit: *LVTHERANORVM DOCTRINA NOSTRIS NON PLACET PER OMNIA: DISPLICET IN NONNVLLIS.* s) Et alias: *HÖEVIS probandum suscipit: nostros non in omnibus capitibus A. C. cum Lutheranis sentire.* Non opvs probatione. IPSI FATEMVR. t) Jam, qui mereantur haberi pro sociis A. C. h. e. talibus, qui cum illius doctrina omni ex parte consentiant, qui quidem in tam multis dissentient, imo se dissentire ab illa, propalam fatentur. Ita vero socii & fuerint, & non fuerint. Fuerint, quia dici a-mant: dici autem requirit inesse. Non fuerint, quia ab eadem Confessione dissentient. Sequetur etiam, si, non obstante dis-sensu, eos agnoscamus pro sociis, nihil referre, quam demum cunque Reformati sententiam foveant, imo nos eorundem approbare errores. Ex quo, quantum metuendum sit offensionis apud infirmos, facile est cognitu. Hinc

BREN-

\*) A. 77. s) L. c. p. 552. t) de Soc. A. C. c. 27. p. 408.

BRENTIVS de Colloquio Marpurgensi, in quo Zwingiani omnem lapidem moverunt, ut a nobis pro fratribus habentur, ad Reutlingenses scribebat: *Nos, qui affirmamus præsentiam Corporis Christi libenter adversarios in communionem nostram recepissimus, si ab errore suo declinassent. Quod cum nullo pacto ab eis impetrari potuit, VΝANIMI CONSENSV DECREVIMVS, eos a communione Christianæ Ecclesie alienos esse, & non esse a nobis tanquam fratres et membra Ecclesiae agnoscendos.* Durissimum hoc videbatur adversariis, ita, ut res pene in contentionem abiasset. Mirum enim in modum ambebant nostram fraternitatem. Nos admirati hominum illorum varietatem, qui paulo ante suis scriptis nos, tanquam adoratores panis Christi, traduxerant, nunc vero fraternitatem & communionem nostram peterent, a sententia nostra semel decreta nihil discessimus. Sed quando etiam Principi illud durum videbatur, sic sententiam temperavimus, ut adversarios nostros Zwinglianos & Oecolampadianos agnoscere quidem velimus tanquam amicos, sed non tanquam fratres, & membra Ecclesie Christi. u) Nec ita multo post idem ille BRENTIVS, cum Melanchthonem, ad Landgrarium, quum ineunda cum Zwinglianis societatis auctor esse vellet: So viel die Brüderschaft belanget, hat E. F. G. unser einfältig Bedenken gelesen, daß wir nicht darein wîsen zu willigen, darumb, daß solche Brüderschaft nicht kan ohn Aergerniß gemacht werden. Denn das müste folgen, daß man uns das für halten würde, als bewilligten wir in ihre Lehre, und stärckten dadurch solche Lehre, die wir doch für Gott nicht wîsen zu erhalten. x) Quicunque ergo ab A., Confessione in doctrina dissentunt, seque dissentire fatentur, nec cipi possunt, hi pro Sociis A. Confessionis agnoscendi non debent. Atqui Calvinio-Reformati.

§. L. Negamus, VII) quia secundum Calvini doctrinam Reformati A. Confessionem rejiciunt, & alias, ab eadem non modo distin-

u) Vid. Hist. Reform. Remeling. p. 105. sq. x) Hist. A. C. c. Wolf. f. 118.

## 48 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

disimetas, sed & ei plane contrarias, amplectuntur. Duabus enim Confessionibus, iisque sibi mutuo contrariis, non magis quis subscribere potest, quam duobus dominis inservire. Matth. VI, 9. Et uti duo contradictoria non possunt esse simul vera & falsa; ita etiam non possunt simul probari & improbari, rejici & admetti. *Qui non est mecum, contra me est,* dicit Dominus Luc. XI, 23. Atqui vero Reformati, apud Helvetios, A. Confessionem in quibusdam nunquam voluerunt probare, quod LAVATERVS l.c. fatetur, adhuc etiam suæ ipsorum Confessioni adhærent. De Belgis, Ungaris, Prussis, Transylvanis, Polonis, olim & Bohemis, quod Helveticæ Confessioni, non Augystana, addicti olim fuerint, & adhuc adstipulentur, constat. In Galliis Reformati Pontificiorum sese vexationibus exponere, quam A. Confessioni subscribere, maluerunt. Notari merentur verba TIGVRINORVM quibus in suis ad Bezan literis A. 1557. utuntur: *Nos, inquiunt, NON ARBITRAMVR, ECCLIAS GALICAS PVIORES EA OMNIA, tametsi tu excipis Eucharistie articulum, AGNITVRAS, que isti in sua illa Confessione Augystana profitentur.* Hujus quidem generis, inter alia, esse putamus Baptismi aque necessitatem in infantibus ad salutem, Confessionem item, que fit sacerdoti, & Absolutionem privatam: ut nunc alia non commemoremus. Nos CERTE IN HIS, nedum in articulo Eucharistie, NB. AVGUSTANAM CONFESSIIONEM NON SEQYIMVR: neque illam unquam simpliciter recipere voluerunt Ecclesiae Helveticæ. Calvinus sigillatim Confessionem nominat facem furia Gallicæ, ad excitandum incendium, quo tota Gallia sit conflagratura. y) Equidem negat CROCIVS, Reformatos in Gallia rejecisse Aug. Confessionem: nec Calvinum canadum facem ad excitandum Galliæ incendium simpliciter nominasse, sed facem furia Gallicæ, per quam Cardinalem Lotharingum intelligat. z) Sit ita. Sed hic Purpuratus tunc Aug. Confessio in plerisque haud dubie assentiebatur, a) quæ verba THVANI sunt: *Ceteri eum sibi ex Colloquio fructum promittebant.*

y) In Epist. f. 524. z) l.c. cap. 36. p. 518. a) L. XXVIII. Hist. p. m. 14.

bant, ut Protestantes sui in Galliis A. Confessioni subscriberent: id quod Reginam, Navarrum, & Hospitalium, unice exceptasse denuo testatur THVANVS. b) Si ergo Confessione nostra, tanquam face, ad excitandum incendium, uti voluit Lotharingus, nullum aliud ex ea secuturum erat, quam, cujusmodi ex sua ipsius doctrina oriturum esse, prædictit Servator. *Luc. XII, 49.* Quid igitur opus erat, Calvinum Confessionem nostram tam invidiose traducere, aut, si naturum inde in Galliis incendium verebatur, num id imputandum erat Confessioni in puro DEI verbo fundatae? Instat CROCIVS: *De Reformatis extra Germaniam se- se pugnare nolle: nec enim de his disputari: sed de Reformatis in Imperio, qui nunquam non A. C. societatem professi fuerint.* At hic viri vel impudentiam, vel imprudentiam, mirari cogor. Suis enim ipsius fratribus in Synodo Dordracena collectis, cui Reformatos etiam e Germania interfuisse constat, in faciem contradicit, qui ajunt: *In Germania, NB. in Germania, doctores nostri pacem & fraternitatem Ecclesiis Lutheranis quidem obtulerunt; sed NB. EORVM CONFESSIONEM NVNQVAM RECEPERVNT, NEC SE PRO DOCTORIBVS LVTHERANIS HABERI POSTVLARVNT: nec unquam in hoc consenserunt, ut Lutheranorum opinio suis in templis doceatur.* c) Hem! vocem totius Ecclesiæ Reformatæ: CONFESSIONEM SESE AVGSTANAM NVNQVAM RECEPISSE, emissam in Synodo, cuius memoriam superiore A. 1518. etiam in Germania nonnulli celeberrunt. Concludo: *Q[uod] frequentissima Synodo collecti Augustanam se- se Confessionem, præsertim in Germania, recipere, aut pro Lutheranis doctoribus haberi velle, diserte, ac una quasi mente & voce, propalam ne- garunt, illi pro sociis A. C. nullo jure haberi possunt.* Atque juxta Calvini doctrinam Reformati &c. E.

§. LI. Negamus VIII.) quia Calvinio-Reformati nec a Papistis, nec a Lutheranis, pro sociis A. Confessionis unquam sunt agiti. Enim vero, decisio quætionis: *num hic vel ille socius A. Confessionis sit,*

G

vel

b) ib. p. 23. c) *Sess. XVI*, p. m. 89.

*vel non sit?* ab eo pendet, num quis cum Augustana Confessione, saltem *quoad substantiam doctrinæ*, contentiat, vel non consentiat. Quum autem hoc ob perspicuitatem verborum in A. C. a quolibet nullo negotio deprehendi possit; hinc facile patet, ne alienum quidem de eadem judicium temere oportere contemni. *Quod ad Nostros*, quis nobiscum sentiat vel non sentiat, ecquis rectius noverit, quam nos ipsi? Negarunt autem non semel, hinc Papistæ, hinc nostri, Zwingianos, &c., qui cum his faciunt, socios esse nostræ Confessionis. Jam enim in Comitiis Augustanis anno supra sesquimillesimum XXX. a Cæsare & Ordinibus non modo deprehensus, sed & improbatus, fuit Zwingianorum a Nostratibus dissensus. Moniti quippe sunt Principes Confessores, ut deliberent, quomodo coercendi sint Anabaptistæ, & ii, qui de Cœna Domini secus, quam Ecclesia, doceant. d) Argentinenses vero ac socii, qui divergam a nostra confessionem obtulerant, tale a Cæsare decretum accepserunt: *quandoquidem in religione NB. DIVERSAM A RELIGIONIBVS OMNIBVS OPINIONEM PROFITEANTVR, & gravissimum illum errorem, de Sacramento Eucharistie, probent, statuas etiam e templis ejecerint -- denuо se ab illis postulare, ut ad sanitatem redeant.* Biennio post cum Schwinfurthi ageretur de pace ad Concilium usque servanda, Cæsaris proponebatur mandatum, ut, *præter scriptum illud exhibitum Augustæ de religione, nihil innovent, nihil doceant, nihil evulgent, & intra hos fines permaneant ad usque Concilii tempus, ita tamen, ut CVM ZWINGIANIS & Anabaptistis NIHIL HABEANT COMMUNVE.* e) Excipiunt Reformati, Crocius, Heideggerus, & quotquot suam nobis persuadere fraternitatem cupiunt: *Eodem in Schwinfurteni conventu IV. Civitates, Argentinam scilicet, Memmingam, Constantiam, & Lindaviam, salva, quam biennio ante exhibuerint, Confessione, sociis A. Confessionis sive adscriptos.* Ast Responde-

mus

d) Sleid. Comment. L. VII. p. 194. & 198. Lib. VIII. 222. e)  
Sleid. L. c.

SOCIOS AVG. CONF. NON ESSE.

51

mus: Adscripti sunt, postquam Confessionem suam copiosius explicando, de religione Saxoni & sociis satisfecerant, h. e. errore Sacramentariorum abjecto sanam de Cœna Domini sententiam, quam A. C. proponit, amplexi fuerant. Quod ipsum et si Crocius, \*) & alii Reformati, negent, ingenue tamen TIGVRINI fatentur, qui scribunt: *Videmus nonnullas urbes, in illis ipsis Augustanis comitiis nominatim damnatas, NON POTVISSE RECIPI, NEQVE RECEPTAS ESSE, IN SOCIETATEM PROTESTANTIVM, NISI PER SVBSCRIPTIONEM CONFESSIONIS AVGVSTANAE.* f) Anno autem Seculi LV. Augustæ Vindelicorum inter Cæsarem & Pontificios Ordines, nec non Socios A. C. super religione pax firma & perpetua, in vim *sanctionis pragmatica*, est composita, sed ea lege, ne, qui sunt alterius religionis, bac pace comprehendantur. g) Quo pacto ZWINGLIANI, & Sacramentarii, beneficio pacis simpliciter sunt exclusi. In consequentibus enim Comitiis omnibus, ab Augustinis illis A. LV. ad Reginoburgensiæ hæc ultima usque celebratis, semper, & unice cautum est, ut solis Protestantibus data videatur pax, ALIENIS A CONFESIONE AVG. PRAECLVSA, ADEO QVE SACRAMENTARII NOMINATIM SINT EXCLVSI, quod denuo TIGVRINI fatentur. h) Cum deinceps aliquot post annis Fridericus III. Palatinus rebus novis studeret, & ad Zwinglianorum placita non obscure accederet, defectionis eum ab A. C., & Calvinismi, Cæsar & Pontificii postularunt. i) Proceres vero Evangelici cum Augustanis Comitiis de Palatini religione Maximilianus II. sententiam ipsorum, judiciumque, requireret, non tantum in capite de S. Cœna ab Aug. Conf. veritate illum deservisse; sed & Calvinismum inter veritas sectas sibi haberi profesh, neque suis eum in Ecclesiis admisuros, ne-

G 2

que

\*) l.c. p. 473. f) Vid. Eorundem Literæ ad Bezam. Ao. 1557. g) Sleidanus L. XXVI. p. m. 857. Acta Publica ap. Lebm. de P. R. c. 20. b) in Ep. ac Bezam. cit. Conf. Schilter. de Pace Rel. i) vid. ipsius Friderici Responsum ap. Struv. in H. E. Pal. c. V. p. 188.

## 52 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

que alibi passiuros immigrare, & Palatino meliora sua siuros esse, t. t.  
recepérunt. Et quanquam sententia in Fridericum, ne pacis illius  
incapax pronunciaretur, absimuerunt; id tamen non juri Septem-  
viri, sed subditorum istius, Confessionis Auguslanae retinentium, in-  
columentati, tum etiam spei de Palatino ad meliora vertendo, ut PEAN-  
NERVS loquitur, dederunt. k) Hanc enim perpetuo injicie-  
bat iis, qui eundem a nimio Calvinismi studio retrahere cu-  
piebant. Pace igitur religionis, dum vixit, usus est Palatinus,  
non quod revera erat Confessionis Socius, sed quia se Socium  
simulabat. Interim quod omnino Helveticam sequebatur, id-  
que non uno modo prodiderat, ob id Principibus & ceteris Im-  
perii Ordinibus, apud quos tantum A. Confessioni locus est, minus  
gratus fuit, fatente denuo e Reformatis ipsis JO. LAETO. l)  
Quod de cetero nostri Protestantium in Gallia patrocinium  
succeperunt, (quo ipso se pro Sociis A. C. agnitos esse a no-  
stris, Reformati continenter clamant,) causa fuit, primo quod  
minime ignorabant, in tanta multitudine plurimos esse, qui  
simplici fide adhærerent Christo, haustosque errores non per-  
tinaciter defenderent, in plerisque autem nobiscum facerent,  
quorum utique vexationes & molestias ægre ferebant. Idque  
hoc minus mirum habere quenquam debet, quod & Maximili-  
anus II. Imper. & optimus quisque inter Pontificios, cum  
THVANO, Lanienam Parisensem, & alias id genus vexatio-  
nes hominum ob religionem, est detestatus, quorum tamen  
propterea socios fuisse vexatos Protestantes nemo facile affir-  
maverit. Miserati enim sunt vicem eorum, non, quod secum  
consentiebant in religione, sed quod a Papistis præter meritum vexa-  
bantur. Alioqui jam t. t. in Belgio A. C. Socii a Calvinianis  
per ipsos Scriptores Reformatos distincti sunt. REIDA-  
NVS enim de tumultu Antwerpensi A. 1567. expositurus: Augu-  
stani, inquit, ne bonam causam contactu CALVINISTARVM cor-  
rum-

k) L. V. de Pace Weßpal. p. 593. sq. ed. tert. l) in Comp. His.  
p. 460.

rumperent, Pontificis se junxerant, convulsi hac sécessione Reformatorum viribus. Nec multis post diebus & AVGVSTANIS & REFORMATIS Ecclesiæ sunt ademptæ. m) Superiore autem seculo cum in Colloquio Thorunensi A. XLV. Reformati sese Socios A. C. per Bergum jactarent, HVLSSEMANVS Seff. VIII. publice ac solenniter contradixit, idque in Acta referri voluit, quod ipse HORNBECKIVS tradit. n) Oriente denum bello Germanico, Lutheranorum Ordines adversus communem hostem arma quidem viresque conjunxerunt cum Reformatis, at non ob societatem Aug. Confessionis, sed injuriarum, quas ab adversariis utrique patiebantur. Nec enim ignorabant, magnam Lutheranorum multitudinem in Reformatorum provinciis habitare, ad quos defendendos, si Principes Reformati concurrent velint, eos quidem a foedere communi minime prohibendos esse putabant, quod tamen salvo religionis discrimine intelligendum erat. Nam & Sveci, quos alioqui Luterae religionis strenuos defensores ac vindices esse constat, Reformatos in Germania arctissimo secum foedere t. t. copularant, qui tamen Osnabrugæ non dissimulabant, LEGE PATRIA CAVTVM ESSE, NE CALVINO - REFORMATOS PRO SOCIS A. C. HABERENT. o) Nempe quia, LAVENTII Archi-Episcopi Vpsaliensis judicio, p) jam omnibus notum est, non melius inter Conf. Augustanam, & impiam Sacramentiorum opinionem, convenire, quam inter Christum & Belial. §. LIL. Negamus IX.) quia ne quidem in pactione Westphalica & Osnabrugensi vel a Papistis, vel a Lutheranis, ut pro Sociis A. C. haberentur, consequi potuerunt. Evidem tum temporis nihil intentatum reliquerunt, ut id vel persuaderent incautis, vel extorquerent invitis, opibus quippe ac viribus Gallorum, Svecorumque, suffulti. At obstabat Sanctionis pragmaticæ

G 3

de

m) Everb. Reidanus in Annal. Belg. L. I. f. 5. n) In S. Contr. L. IX. p. 694. o) Pfannerus in Hist. P. Westpb. p. 598. 614. p) Baazius in Hist. Eccl. Svec. L. III. c. 3. p. 291.

## 54 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

de pace religiosa A. 1555. auctoritas, obstabat manifestus Reformatorum ab A. C. dissensus. Horum igitur formula, qua in illius societatem recipi postularant, *ista fere solum parte ingrata fuerat*, (verba PFANNERI sunt, q) QVOD A. CONE. ADDICTOS HVJVS ET ILLIVS NOMINIS COMPELLANTES IN CONSORTIVM A. C. ISTO VERBORVM ARTIFICO IRREPERE VELLE VISI EVERANT. Invicem ægre ferebat Brandenburgicus, quod in Svecorum formula Reformati A. C. addic sis, ut alio ni, essent oppositi, cum quidem ipse Confessionis Socium constanter se se jactaret, & Witgensteinius, Legatus princeps, Reformatos perinde Aug. Confessionem profiteri contenderet. Cui vero apposite respondebatur a Nostris, non opus fore Brandenburgico peculiari beneficio, verborum que cautione, si, quam crebris sermonibus, literisque præferat Aug. Confessionem, librumque Concordiae, (nam ne hujus quidem probationem se facile recusaturum dixerat,) utrumque alioqui Reformatis invisum, amplecti se publico scripto signisicet ac testetur. Et sane difficulter hæc duo secum conciliari possunt, verum Confessionis Socium se ferre, & tamen post pacem Confessioni datam, & C. annorum usu firmatam, peculiari adhuc privilegio sibi de libertate religionis caveri velle. Si enim Lutherano-Evangelici in pace Augustana acquiescere possunt, quod Augustana Confessioni sincere addicti sunt, cur non & alii, qui perinde sentire, & Confessioni adhærere, videri volunt? Nempe quod Reformatos sua t. t. conscientia procul dubio monebat, se idem, quod Confessione comprehensum est, nec credere, nec docere, adeoque *jactare se quidem socios, at non esse*. Satis ergo t. t. habere debuerunt, per Svecorum auctoritatem, & gratiam, *paria securitatis privilegia* cum Ordinibus A. C. addictis obtinuisse. Ut enim in Confessionis ipsius societatem admitterentur, ne quidem per Svecos ipsos licuit, quorum legati lege patria se prohiberi dicebant, quo mi-

q) in Hist. Pac. Westph. L. V. p. 61.

minus Reformatos pro Sociis Aug. Conf. habere possent. Ceteri non dissimulabant, studio sese formulam dati privilegiū sic adornasse, ne, Reformatos pro Sociis A. C. agnitos fuisse, videri posset. Idem enim beneficium, quod Cæfaris & Ordinum Imperii consensu Pax religionis Catholicis & A. C. additīs tribuit, id & iis, qui inter illos (Ordines nempe Imperii, non hos, i. e. A. C. addictos,) Reformati vocantur, competere debet. r) Instrumentum igitur Pacis Calvinianos, ac eorum in fide consanguineos, non minus a societate C. A. sequestrat, quam Partem Romanensem; et si in alio quodam Territo utrisque illos equiparet, **NON TANQVAM AVG. CONFESSIONIS, SED TANQVAM BENEFICIORVM PACIS PVBLICAE, PARTICIPES,** ut loquitur HVLSEMANVS. s) Imo, ne in his quidem acquievit SAXO, qui per Leuberum intercessit decreto, eaque in sententia persistit, quod beneficia, quæ Constitutio religionis in Comitiis Augustanis Ao. 1555. promulgata A. C. addictis concedit, magni sint aestimanda, & de istis sine Cæsareæ Maj. & omnium Imperii Statuum consensu nihil remittendum, quamvis causæ prægnantissimæ remissionem urgerent. Se igitur consentire non posse, ut præsenti pacificatoria transactione de beneficio mutande, ac introducende religionis in terris & provinciis suis -- in gratiam illorum, qui Reformati dicuntur, quicquam derogetur. t) Quæ utut t. t. surdis accepta sunt auribus, de Saxonis tamen prudentia non minus, quam constantia, testantur. Reformatos autem monere debebant, ut in iis, quæ per pacificationem data sunt, acquiescant, nec invitis, ac reclamantibus, tum Confessione ipsa, tum Confessioni addictis, socios sese Lutheranis obtrudere laborent. Concludimus: *Quicunque ab Ordinibus Lutheranis, & A. C. serio addictis, in solenni Europa conventu, a societate ipsius Confessionis exclusi, in partem vero jurium a Confessione pendentium ægre admissi sunt, hi pro sociis A. C. agnoscendi non possunt.* Atqui Reformati.

s. LIII.

r) Pfanner. de P. W. L. V. p. 613. s) vid. Dial. Apolog. c. Calixt. p. 143. t) Pfanner. l. c. p. 615.

56 DEMONSTRATIO CALVINO-REFORMATOS

§. LIII. Evidem X.) doctores Reformati, & sigillatim MAR-  
ESIVS, u) ab hoc tempore insolentiores facti sese sociis A.C.  
vel invitis ingerere studuerunt, causati, per pactionem West-  
phalicam se sociis esse adscriptos. At Reformati denuo Re-  
formatum oppono, HORNBECKIVM nempe, qui scribit: *Haud  
veriti fuere nostri variis in Imperii comitiis sub Augustana Confessio-  
ne comprehendi, quando de religionis negotio cum Protestantibus est  
actum, quamvis MELIVS in articulis nuperæ pacis Ao. 1648. SE-  
ORSIM AB ALIIS, ET PROPRIO NOMINE, VENIAMVS,  
TRESQYE RELIGIONES EXSERTE NOMINENTVR.* x)  
Unde adeo sic argumentatur: *Quicunque minus bene pro iisdem  
cum Lutheranis habentur, melius autem seorsim a Papistis &  
Lutheranis ponuntur, religionem quoque ab utrisque diversam colunt,  
& proprio nomine non socii A.C. sed Calvinio-Reformati dicuntur,  
hi socii A.C. non recte annumerantur.* Atqui ipsius Hornbecki,  
Reformati, judicio Reformati minus bene pro iisdem cum Lu-  
theranis habentur. E.

§. LIV. Negamus quæstionem XI.) quia Confessionem Ang.  
justo in pretio a nobis haberi moleste ferunt. Nec enim decet so-  
cium suam ipsius doctrinam, doctrinæque summam, & utrius-  
que Confessionem, despicere. Quin justum ei premium statu-  
at, oportet, honoremque debitum deferat, qui consors videri  
cupit. Nec enim quis facile indignabitur, id, quod magni æ-  
stimat, ab aliis etiam extolli. Atqui Calvinio-Reformati li-  
mis huicdum oculis aspicere visi sunt honorem A. Confessioni  
delatum. P. MARTYR de A. Confessione interrogatus re-  
spondit: *Sibi videri sufficere verbum DEI, quo omnia comprehen-  
dantur.*\* KLEBITIVS olim, in Palatinatu, novum Lutheranorum  
Evangelium: y) HARDENBERGIVS, Bremæ, traditionem hu-  
manam, contemptissime nominabat. z) Z. VRSINVIS in  
Adm.

u) In Syntagm. sub fin. p. 552. x) In Summa Contr. L. IX. p. 634.

\*) Croc. de S. A. C. p. 544. y) Höeus c. Orac. Dodon. p. 302. z)  
Magnif. D. Löfcher. P. II. Hisp. Mot. p. 240. 245.

Adm. Neostadiensi *Symbolarem ei honorem deferri fremit.* a) *TIGVRINI suum hac de re dolorem prolixè aperiunt: Habitæ sunt, inquiunt, non pauca ab edita illa Confessione colloquia, in quibus tamen omnibus MAJOR PROPEMODVM EJVS HABITA EST RATIO, QVAM IPSIVS SACROSANCTI EVANGELII J. C., adeo, ut qui ipsam in omnibus non agnoscat, atque recipiat, licet plene & sincere Evangelicam fidem Apostolicamque doctrinam profiteatur, nihil dum tamen sane doctrinæ videatur agnoscere ac recepisse. Neque enim satisfaceret his hominibus, qui modeste fateretur, recipere se Confessionem Augustanam, sed intellexeret, vel sensu suo. - - - Nec sine causa tantopere inculcamus, illos perpetuo ad Confessionem Aug. TANQVAM AD SACRAM RECVRRERE ANCHORAM, illam ipsam post longas ambages verborum postque involucra semper objicere, ac, nisi ei subscribatur a nobis, modicam reconciliationis aut pacificationis spem relinqueret. b) Vnde sic infero: Q. Aug. Confessioni justum quoque honorem invident, nimiumque illi deferri clamant, hi pro veris ejus & genuinis sociis haberi non possunt. Atqui Calvinio-Reformati. E.*

s. L V. Quia XII.) Calvinio-Reformati Lutheranos, adeoque Aug. Confessioni sincere addictos, his illisve provinciis vel penitus ejecerunt, vel tempora saltem eorundem, scholasque occuparunt. Quod quam parum deceat eos, qui fratres videri volunt, facile est cogniti. Num enim socius locum hostiliter tractabit? Atqui Nostros a Reformati indigne habitos, ædibusque sacris ejectos, redditibus autem mulctatos, & acerbe vexatos fuisse, exemplis non facile numerandis doceri potest. Enimvero, ut Lutherum primum repurgandæ religionis auctorem ipsi etiam modestiores Reformati, Lavaterus, Bucerus, Peucerus, Mornæus, Bucholtzerus, Abr. Scultetus, Jo. Lætus, Spanhemius, in primisque Atingius, c) haud gravatim concedunt; sic olim

a) Vid. toto Cap. IV. p. m. 141. sq. b) Vid. Eorund. ad Bezan epistola d. 25. Dec. 1557. que extat in instrucliss Bibl. Saxo-Goth. c) Verba singulorum videsis in Vind. Hist. A. C. §. 1.

PVFENDORFIO testa, *Germania UNIVERSA, qua R. Pontificis jugum excusserat, LVTHERI DOGMATA PROFITEBATVR.* d) Saltem, quo tempore pax Augustæ Videlicorum A. 1555. de religione constituta fuit, nullus fuit Imperii Ordo, qui faceret cum Calvinio, nullum in Germania templum, quod Zwinglianis pateret. Cum deinceps Formula, quæ sic vocatur, Concordia promulgaretur, duæ omnino per Germaniam Vrbes erant, in quibus Calvinismus, rejecta carnis Christi Omnipræsentia, hujusque in Cœna Domini orali mandatione, libere docebatur, Neostadium scilicet in Palatinatu superiore, & Brema in inferiore Saxonia. Verum non ita multo post per plurimas sese ditiones, ipsumque adeo novum Orbem, ut A.B.R. S C V L T E T V S, e) & D A V. P A R E V S, f) improbe gloriantur, diffudit. Iamque, si quis vellet subducere rationes, facile demonstrari posset, plus, quam duo millia templorum Reformatos, & miris aliquando titulis, occupasse. Quod si Pontificiis eadem substraxis- sent, sibique vindicascent, haud gravatim ferremus. Nunc ubi sua Papistis facile relinquunt: Lutheranis autem sua eripiunt, & veteres subinde colonos migrare jubent, quis hæc talia profici- sci posse a sociis opinetur? Non est, quod quis Reformati fieri injuriam clamet. Flebilem enim, ac bene longam seri- em vexationum, & injuriarum nobis illatarum, peculiaribus libellis, ac vel per omnia literarum elementa, nuper exhibuerunt Celeberrimi in Saxonia utraque Theologi. g) Quin ausim dicere, vix in Germania facillum nunc Reformatos habere, quod non olim tenuerint Lutherani. Jamque merito suspican- tur

d) *Vid. Jus fec. div. p. 213.* e) *Scult. in Conc. Lub. 1618. Ambergæ edita.* f) *Pareus in Jrenico.* g) *Vid. Unterbänige Addressæ an ein durcbl. Haupt nebst einen Anhang von Calv. A. B. C. inprimisque nervosissimus libellus, unbrüderliche Betragung der Reform. in den Pfalz gegen die Lutberaner. Addatur, si placet, Pbilalethæ Jrenophili gründl. Utersuebung ob die Ref. mit den Lurb. einstimmig p. 114. usque 135. It. Vox Oppressorum in Marchia. &c.*

tur prudentiores, id agi, ut reliquias etiam, simulac se dede-  
rit occasio, absorbant, sibique sumant, nullo nobis relicto vel  
vindicandi jure, vel recuperandi spe, quod, quæ demum cun-  
que rerum conversio sequatur, si vel maxime occupentur a Refor-  
matis, hiorum saltem opinione non minus in potestate sociorum  
A. C. manent, quam antea erant, quum possiderentur a Lu-  
theranis. Quo pacto fieri non potest, quin, tempore procedente,  
quod jam Osnabrugæ suspe&tabant Nostris, b) omnis Lutherani  
nominis, & ipsius Aug. Confessionis, memoria extingua-  
tur. Quod quum olim Crocio objiceretur a Nostris, non  
audebat is quidem simpliciter negare, quod erat in propa-  
tulo, conabatur tamen hanc in sententiam vel extenuare, vel  
pingere: *Non, ubicunque rerum potiuntur, doctrinam A. C. eli-  
minant ubique. Alicubi ferunt publice sonantem: alibi eus Con-  
fessores ferunt: et si non doctoribus suggestum permittunt. Vbi &  
Confeso, & Confessores doctrinae feruntur, idque circa molestiam,  
ibi doctrina vix dici potest eliminari.* Hæc Crocius. At habemus hic  
denuo Reformatos in Palatinatu confitentes reos, quando de re-  
ligionis suæ Principibus scribunt: *Sie haben die Reformirte Re-  
ligion so universaliter durch die ganze Pfalz eingeföhret, daß,  
nach damahlichen allerseits sich gezeigten starcken Religions-Eyfer,  
den Evangelisch-Lutherischen kaum auswärts die Communio zu  
empfangen geslattet werden wollen.* i) Egregium scilicet vel sin-  
ceri consensus, vel fraterni amoris, indicium! Quid e-  
nim jam habent Reformati, juxta suam ipsorum confessionem,  
præ Papistis, qua officia Lutheranis exhibenda, præcipui? Non  
ubique Lutheranos eliminant: eliminant tamen alicubi. Ali-  
cubi ferunt Confessionem & Confessores: alicubi vero ejici-  
unt. Quid horum a Papistarum institutis & moribus alienum  
est? Hinc Ordines Lutherani Osnabrugæ ex Reformatis quære-  
bant: *Qua fronte Aug. Confessionis Socios sese ferrent, qui Ci-  
ves*

## 60 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

ves suos ei addicatos, aut publicum saltem religionis Lutherane cultum, ad Pontificie tyrannidis modum terris suis proturbent? Eo ipso quippe tempore Batavos Zvolle atque Arnhemii, Brandenburgicum in Clioianis provinciis colendi publice Numinis facultate Lutheranis interdixisse. Quod autem non eadem ubique austерitate utuntur, non profecto voluntate Dogmatistarum, sed prudentia & æquitate Principum, detinentur, qui per ejectionem Lutheranorum vel ditiones suas vastari, vel sanctiones Imperii pragmáticas convelli, nolunt. Nam, quo alioqui animo sint in nos-  
tros, obscurum ei esse non potest, qui ex historiis sapit, & μελό-  
δειας eorundem inspexit. Certe illo ipso tempore, quo in Westphalis agebatur de pace, ingenuo magis, an impudenti candore, incertum, fatebantur Bremenses, SIMVLATA A. C. SOCIETATE SE TOTA FERE VRBE ILLAM EX-  
TERMINASSE. k) Nec facere possum hoc loco, quin affe-  
ram, quae AD. CONZENIVS, Lojolita, de Reformatorum in mutanda religione artibus sibi obseruasse videtur:  
*Tres, inquit, potentes Germaniae Principes Religionis Lutheranae in Calvi-  
nianam, seu, ut ipsi vocant, Reformatam, communionem fecerunt,  
Palatinus Elector, Hassiae Landgravius, & Marchio Brandenburgicus,  
etiam Elector, & quamvis omnes pene subditi ZWINGLIANIS MUL-  
odissent, sine ullo tumultu, (nisi quod Berlinum irasci præsumpsit,) trans-  
lationem illam perfecerunt.*

S. 6. His in commutationibus, haec fere observavi ex Historia mutatae in Palatinatu Religionis, ex actis Marburghensibus, & Edicto Brandenbur-  
gico. Primo quidem mutandae Religionis, & extirpandi Lutheranismi propositum celaverunt, non quidem ut prudentiores ignorarent, sed ne populus commoveretur. Secundo, arte Zwinglianorum quidam subornati sunt, qui Reformatae Religionis exercitium peterent, idque multis & mol-  
libus verbis, ne Princeps sua sponte in odiosam novitatem propensus vide-  
retur, sed subditorum conscientiis indulgere, libertatem amare, ac sovere-  
nitudinem vulgo solet facilitas Principis, cum in illis etiam, quae ne-  
gare melius erat, se exorabilem præbet. Tertio, Templum illis unum,

k) Pfanner. l. c. Τ generatim Botfacci παραβαλλάτερος, Ejusque ad-  
tago. c. G. Pauli & alii.

alterumve petebatur. Ne hoc quidem durum populo videbatur, plura re-  
tenturo, nec de illis nimium sollicito. Quarto, hic tamen feso Lutheranorum  
opposuit Zelotypia, cum templo enim redditus, pastumque detrahi  
sentiebant, nec ignorabat hoc sagax Politicorum providentia, itaque collo-  
quium & pacificationem machinantur, in aula convenitur, in consilio Prin-  
cipis disceptatur, Notarius & testes negantur. Hoc nullo modo proban-  
dum est, sed si colloquium instituendum est, sua utriusque parti libertas &  
comoda relinquenda sunt. Qui enim alterius potentia pressi loco deter-  
riore fuerunt victores censentur, ut in Hollandia Arminiani, cum illas,  
quos Principis favor tutabatur, si causae fiderent, pari jure, armisque de-  
certare oporteret. Quinto, Decretum editum est, de non calumniando,  
non contendendo, non predamnando alios, de pace & concordia fo-  
venda. Hoc Principum editum ad institutam religionis mutationem  
efficax fuit. Sic enim efficiebatur, ne contradicere Calvinis, Zwingli-  
anis, Sacramentariis, quisquam, imo ne nominare quidem auderet. Mul-  
tum autem profecit error, cum id obtinuit, ne detegatur. Nec tamen  
ne tum quidem populus quidquam movit, cum alioqui moderatores eri-  
sticas, & contumeliosas conciones multi detestentur. Hanc igitur ob cau-  
sam Princeps non ut haereseon fautor proscindebatur, sed ut pacis ama-  
tor laudabatur, praesertim cum thesin & antithesin doceri permetteret.  
Sexto, Disputatio Academica instituta est, praeside Calviniano, qui de-  
inceps etiam ordinarius Professor constitutus est. Septimo, ne bis qui-  
dem omnibus hoc actum esse videbatur, ut Lutheranismo Zwinglianis-  
mus succederet, sed ut pax constitueretur, nihil enim tum aliud postu-  
labatur, quam ut Luberani, retensis & dignitatis & fructibus, cum  
Reformatis in Consistorio simul considere, & deliberare de rebus Ecclesia-  
sticis vellent. Hoc cum recusarent, quasi superbi, contumaces, inobedien-  
tes magistratui, accusabantur, & meruisse videbantur dimissionem; quia  
Collegas aspernabantur & pacem. Haec omnia hactenus ita transacta  
sunt, ut experirentur, quid ferret populus. -- Octavo, cum popu-  
lus Heidelbergensis pro reiendis Concionatoribus Lutheranis sup-  
plicaret, res silentio transacta, atque interim hoc actum, ut  
Concionatores illi velut nimium pervicaces, & cerebrosi traducerentur,  
facile itaque petitione sua plebs destitit, & si illi, qui aderant, displice-  
rent, saltet alios moderatores & paci idoneos possebat. Credebant  
enim hominum esse offensam, non Lutheranismi odium; sperabant itaque,  
& cum spes esset precibus obtinerti posse credendi libertatem, a vi abstine-  
bant,

## 62 DEMONSTRATIO, CALVINO-REFORMATOS

bant, donec postremo curam Lutheranis ac spem deposuerunt. Nono, cum jam tuta omnia viderent, domo parochiali excedere iusst sunt Lutherani, omnia templa data Calvinianis. -- Decimo, cum Auditores Academicci Lutherani essent, cum illis quoque varia arte tractatum est, stipendiariis, seu Alumnis Electoralibus, est oblatus Calvinianismus, aut repraesentata dimissio, pro Catechismo Lutherano Zwingianus obrusus omnibus; ita brevi momento maxima conversio, quasi sine motu, contigit; nam praedicantes rurales facile cum Principe opiniones mutabant. Undecimo, in Hassiaca mutatione hoc etiam notavi, quod cum Lutherani, tam Academicci Professores, quam Concionatores, officiis & honoribus recusarent cedere; mirari se Princeps dixit, cum nondum eos suscepset, & in possessionem misisset, morte enim defuncti Principis eorum quoque loca vacua facta, & jura in sua esse potestate. Duodecimo, lente etiam & particulatum processum est in Hassia, neque Calvinismus totus proferebatur, sed quaedam, ut videbatur exigua pars, nempe redintegratio praeceptorum Decalogi, fractio panis. Itaque licet initio Marburgenses ad conciones Lutheranorum, quos discessuros audierant, solliciti accurreverent, Coenam caperent, nihil tamen postea moverunt, sed paulatim ad Calvinismum migrant, multo facilius, si alio vocenur, obtemperatu-ri, nempe in Arminianismum, aliquam sectam. Tertiodecimo, consecutae sunt scriptiones utrinque, sed praevaluerunt, quarum favor ab aula. l) Hac CONZENIVS. Quæ, utut prolixiuscula, vel ideo prater- eunda non erant, quod hoc pacto Reformati Papistis ipsis viam monstraſſe videntur, superstitiones suas pro Aug. Confesſione in hanc, illamve, provinciam sine strepitu reducendi. Hoc autem ne fiat tanto magis periculum est, quod procul dubio Romano-Catholici eadem sibi licere in Protestantes putant, quæ Reformati sibi huicdum in Lutheranos sumpserunt. Cujus utinam non exempla numero multa, etiam recentissima, haberemus! Hoc saltem est in propatulo, Reformatos', perinde ut Romano - Catholicos, pro ampliandis suorum juribus, & multiplicandis coetibus, cum Lutheranorum injuria, saepissime laborasse. m) Quæ cum ita se habeant, concludo:


l) Vid. L. II. Politic c. XLIX. p. 103. m), Comparetur denuo Phil. Jrenopibili Untersuchung l. c.

do: *Quicunque Lutheranos, vel Aug. Confessioni sincere addictos, ex his, illisve, provinciis vel penitus ejecerunt, vel tempora saltet eorundem scholasque occuparunt, hi pro sociis A. C. haberi non possunt. Atqui Calvinio - Reformati. E.*

§. LVI. Liceat nunc, antequam finem scribendi faciam, telum ab HORNBECKIO præter meritum in Nos conjectum in Reformatos procul omni injuria, & injuriæ animo, retorquere. Non, inquit, maledictis solum, sed & malefactis, contra nos abstinere illos oportet i. e. a persequendo, ejiciendo, privando nostris honoribus, facultatibus, locis, vita, sepultura denique, etiam ne violenter auferant tempora nobis, scholas, & locum regiminis in Magistratu. De hoc exstimo prius nos debere esse sollicitos, RECVPERANDIS VIDE-LICET NOSTRIS, QVAM PRAEDICANDO SYNCRETISMO cum illis, qui se tales erga nos gerunt, & in vanum labore rare. Quemadmodum Lutherus solebat dicere, ad propositas rationes conciliationis cum Pontificiis, prius ut redderent nobis martyres nostros: deinde de Concordia agerent; sic ANTE OMNIA RED-DANT LVTHERANI (Reformati) NOBIS ABLATA, ET TVM DE PACE LOQYAMVR, ET CON-JVNCTIONE MVTVA. n)

T A N T U M.

n) Vid. Summa Contr. E. IX. p. 709.



Saepius arma capis, sancta virtute parata,  
Milite cum docto, me duce, bella gerens.  
Ingenii vires, mentem Pietate politam,  
Limatos mores laudibus ornō tuos.  
Virtutem vitiis, commentis dogmata vera  
Per docto scripto non socianda probas.  
Continues bellum, debelles Numinis hostes,  
Et felix victor sancta trophya canas.

GEORG. FRID. SCHROEER, D.  
& Acad. Rector,

J.V-



JUVENI A 201362  
VIRTUTE, DOCTRINA, ET INGENIO NOBILISSIMO  
JOHANNI JACOBO HACCIO,  
RACEBURGENSI  
S. P.

**I**nter innoxias, si quae capi possunt ab homine, voluptates, nulla, sapientum iudicio, potior, nulla delicatio est, illa, quae a felici liberorum educatione ad nos redundat. Equis enim vel dulcius, vel jucundius evenire potest parenti, quam videre Filium bono ingenio praeditum, et succescere laetum, & proficere indies, & emergere sensim, & respondere spei, & Virum gravem minari, paternis denique vestigiis inhaerere? Quoties igitur in TE inueor, Nobilissime HACCI, (inueor autem in TE assidentem docenti, & auscultantem, quoridam,) toties PARENTI Tvo, nunc divo, gratulor, ejusque fortunas laudo, quod filium sui similem in TE procreavit. Nec enim ore illum solumente, vultuque, refers; sed & ingenium ejus, mores, virtutem, assiduitatem, modestiam denique feliciter reprobas, ac reddis. Quod quam mibimetipsum gratum accepimusque sit, poteris ex eo colligere, quod eodem & Amico, & in scholis Waltherianis discipulo, sum usus. Nunquam sine tenerae voluptatis sensu illius temporis memini, quo ab ore incomparabilis Theologi pendebamus una, cuius de excellenti doctrina, facundia, perspicuitate, soliditate ac fide in docendo nibil tam magnifice ac splendide dici poterit, quin sit meritis ejus & dignitate inferius. Nec minore tamen illum in pretio habebat Pater Tvs, qui, cognita Viri virtute, usque adeo rotum ei se dederat, ut etiam prae nimio ejus audienti & affectu studio nonnullam valetudinis facere jacturam. Tanta enim cum voluptate docentem audiebamus, ut inter auscultandum nibil subinde timeremus magis, quam ne defineret. Atque TIBI, mibique, creptum esse, doleo. Ceterum laetor, ipsique gratulor, quod filium pari ingenio praeditum, pari discendi cupiditate flagrantem, pari ardore veritatis incensum, pari denique meritorum spe pariam demulcentem, & optima quaque de se pollicentem, reliquit. Nunc prodid in publicum, datus industriae pariter ac doctrinae specimen, quo & locati temporis rationem reddas, & quid abs TE expectare habeamus, aperias. Quod ut Deus bene vertere, & universae non minus Ecclesie, quam TIBI, tuisque studiis, prodeesse jubeat, toto eum pectore ac demississime veneror! Ita vero vale, Nobilissime HACCI, & quod bucdum facere visus es, ama

Tibi addictissimum  
PRAESIDEM.

*Th. 1329*

ULB Halle  
002 422 239

3



*VD18*

*5b,*

*M. C.*





18.

QVOD DEVS BENE VERTAT!  
SOLID A  
ET HOC TEMPORE  
NECESSARIA DEMONSTRATIO  
QVOD  
J V X T A  
CALVINI DOCTRINAM  
REFORMATI  
NEC SINT NEC JVRE HABERI POSSINT  
OCII AVG. CONFESSIO NIS  
QVAM  
IN ALMA WITTENBERGENSI  
PRAESIDE  
OTTLIEB VVERNSDORFIO  
THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. PRIM. ORDINIS SVI  
NIORE, CONSIST. ECCLESIAST. ASSESS. TEMPLI PAROCHIA-  
LIS PAST. ET CIRCVLI ELECT. SAX. SVPERINT. GENER.  
ATRONO AC PRAECEPTORE SVO, OMNI PIETATIS  
ET OBSEQVII CVLTV DEVENERANDO  
AD DIEM XXIX. DECEMBR. M DCC XXII.  
REPET ET  
IDONEISQUE RATIONIBVS FIRMABIT  
JOANNES JACOBVS HACCIVS  
RATZEBVRGENSIS.  
WITTENBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.